Si qui uerò maledictionem seu execrationem prædictam audierint, uel in ædibus suis factam tacitè sustinuerint, nec Magistratui loci indicauerint, nisi præter id, & absq; eo, quòd Deum grauiter offendant, etiam à Magistratu suo, secundum qualitatem causæ, mulctentur punianturue.

Quòd si quis uerò prædictam blasphemiam, quam audisset, ad requirituram ordinariæ potestatis suæ, dolo se aut fraudulenter reticuerit, uolumus eundem à Magistratu ut collusorem blasphemix pro qualitate & conditione facti causæq; in corpore uel bonis grauiter plecti.

Si quis autem Electoris cuiusquam, uel Principis, uel Comitis, uel Domini, aut Communitatis, uel alterius cuiusquam Officialis, aut ex Nobilibus, aut alijs, quibus sunt Iudicia, uel eis præsunt, propter munera, dona, aut fauores illos quos detulerunt, aut comperissent ipsi, blasphemos in Deum fuisse, nec, ut antèdictum est, punirent, sed scientes & prudentes subprimerent ac subicerent, tales quidem Officiati, Nobiles, & cæteri, per suos Magistratus, utpotè Principes, Comites, Dominos & Communitates, confestim simul atque ipsis innotuerit, adeò puniantur seuerè, quòd cognoscatur palàm, ipsis inuitis nec consentientibus contigisse. Quòd si uerò Elector, Princeps, Prælati, Comes, Dominus, Nobilis, uel Communitas, suos Amptmannos, Officiatos, Præfectos uel subditos non puniunt, uel ipsi blasphemiam admittunt, aduersus eos Fiscalis noster contumaciæ & inobedienciæ ergò tanquam contra permissores & collusores, seu patratores ipsos eiuscemodi blasphemix & execrationis, prout æquum est, procedat.

Si autem Magistratus supradictos blasphemos punire nequirit, tunc quidem Cæsareo Fiscali, sub pœna decem Marcarum auri, indicet atq; proponat, qui contra eos, ut æquum est, seuerè procedat. Atqui uerò si talis blasphemus prædictus à quopiam, cuiusnam status, sublimis ne an humilis fuerit, debito modo capitali mortisue pœna plecti non posset, is quidem blasphemus, sicubi blasphemix crimine conuictus fuerit, infamis propterea erit,



& ab omnibus pro tali haberi debet, eaq; infamia notari, nec eò minus, quodocunq; fieri potest, criminaliter & capitaliter, ut antè dictum est, capitis & membrorum pœnam, iuxta qualitatem patratæ criminis, luere.

Qui item præterea delatos blasphemos, ut suprâ ponitur, scienter ac temerè in familiam suam, seu pro ministris asciscit, cum illis negociatur aut agit, promouet uel receptat, ne plectantur aut puniantur, sed pœnâ ut effugiant, contra eos, seu fuerint sublimis seu humilis status, Cæsareus noster Fiscalis corâ Imperiali nostro Iudicio Camerae ad pœnam arbitrariam procedere debet. Si quis uerò prædictarum blasphemiarum ergò iudicium declinaret, uel profugeret, eo nihilominus contra ipsum & res suas, prout in huiusmodi casibus de iure æquum est, agi procediq; decebit.

*De criminationibus & deierationibus, uel execrationibus nominis diuini. Capitulum secundum.*

**Q**VANDO QUIDEM uerò uulgo ac frequenter fit hoc tempore, ut pleriq; homines, uim uirtutemq; Dei, & potentiam, corpus, membra, uulnera, mortem, passionem, cruciatus & Sacramenta, Domini nostri ac Saluatoris Iesu Christi sæpe multūq; leuiter, temerè, prauèq; deierent, criminentur & execrentur: ob quod Magistratibus quidem impensius atq; attentius equū est ac decet in illos animaduertere. Quocirca arbitramur, uolumus ac iubemus seuerè, sicubi cuius quispiam, seu operarius uel manuaris opifex, aut agricola, seu rusticus, aut talis uismodi priuatæ ac cœlibes personæ, incolæ seu extraneæ, suprâdicto modo semel aut iterum deierauerint, ab illo, qui audiuerit initiò benignè admoneatur, & familiariter rogen̄, ut ab ea re desinât atq; desistant, & de cætero abstineât, ne Magistratui deferre necesse habeat aut opus sit, quò debita pœna corripiantur. Quòd si uerò non desistant, Magistratui uel Maioritati ecclesiasticæ aut seculari, iuxta qualitatem personæ indicentur confestim: delinquens autē incarceretur uel mulctetur seuerè, iuxta modum & grauitatem delicti perpetrati.

*De criminatione & blasphemia aduersus genitricem Christi, & sanctos Dei. Caput tertium.*

**S**I quis aduersus matrem Christi saluatoris nostri, aut dilectos sanctos Dei malignè deieraret, is primùm humaniter familiariterq; admoneatur, ut cesset atq; desistat: quod si non fecerit, nec maledicere desierit, mox absq; mora ut suprâ dictū est, indicetur: & delinquens corpore aut ære, iuxta conditionem personæ, & qualitatem patratæ &



6 POLITIAE ROM. IMP. CONSTITVTIO,

*Circumstantia sunt diligenter expendenda.*

commiffę blasphemię, per Magistratum ac superioritatem competentem corripatur. In his uerò pœnis omnibus non solum magnitudo uel enormitas criminationis & blasphemię, seu quantitas ipsa delicti attendatur, uerum etiam, an eadem personę lapsius in eodem crimine peccauerint, & quoties illud excesserint, qua occasione, quo motu seu instinctu id fecerint: cuius status aut conditionis eę personę sint, expendendum erit, ut ita demum pœna ex præscripto & forma Iuris magna uel modica irrogetur. Quòd si quisq; Elector, Princeps, aut Status, causa talium blasphemiarum & criminationum aliquod decretum seu constitutionem, hac fortè grauiorem seueriorẽm uel euulgasset, aut in posterum deinceps similem editurus esset, ei quidem per hanc ordinationem nihil derogetur, quin omnibus modis permittatur & concedatur. Magistratus item si existimauerit, eiusmodi pœnam blasphematorum & deieratorum acuendam & exasperandam fore, eius rei, ex qualitate negotij, facimus ipsis damusq; potestatem. Ne uerò eiusmodi criminationes Dei & blasphemię reticeantur, quisq; Magistratus, puniendi & mulctandi potestatem habens, exploret & expiscetur talia delicta sedulò atq; diligenter.

*De Nobiliũ, & eorum equitum blasphemijs & criminationibus. Caput quartum.*

**A**M &, quò prædictę blasphemię, apud Comites, Dominos & Nobiles (quos minus illa quàm uulgum aut plebem decent) & eorum ministros seu familiares cessent ac omittantur, nec ceteri homines per ipsos offendantur: Volumus ac iubemus, ut quisq; Electorum, Principum, Comitum, Dominorum, Nobiliũ, Communitatum, & ipsimet hanc nostram Ordinationem & Constitutionem sub prædicta pœna euitanda obseruent: similiter & apud suos aulicos ac ministros seuerè præcipiãt atq; constituant sub debita iustaq; pœna & mulcta, ita ut præfatę criminationes, deierationes & blasphemię apud suos aulicos, ministros, & familiares, non minus quàm apud reliquos deieratores & blasphemos, ut suprà dictum est & constitutũ, euitentur, mulctentur quoq; & puniantur. Porrò si qui Comites, Domini, Communitates, aut Nobiles, peculiariter et in specie, Electoribus aut Principibus non subsint, sed immediatè soli q; nobis & sacro Imperio attineant: Volumus atq; iubemus eosdem, sub iuramentis ipsorum, quibus mediantibus deuincti sunt nobis & sacro Imperio, sese à prædictis blasphemijs & deierationibus abstineant ipsi, ministri, famuliq; eorũ, familiares & coniuges, omnibus modis, prout suprà dictũ est, de Electoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus seu Dominis, Commu-



Communitatibus, & alijs nobilibus, qui Electoribus & Principibus subsunt, & eorum ministris & familiaribus, expressè clareq; constitutum est. In quibus omnibus ita sese Electores, Principes, Comites, Barones, Domini & alij nobiles, Clerici & Laici, sedulos ac diligentes exhibeant gerantq;, quò ipsorum iustis moribus ac uita, honor & gloria Dei, ut diximus, plus promoueatur ac prouehatur, minùs ue impediatur, aut remoretur, quemadmodum alioquin ob statum ipsorum ante tenuiores minoresq; personas facere teneantur.

*De uulgarium militum blasphemijs & deierationibus.*

*Caput quintum.*



**C**M inter uulgò milites seu bellatores in usu sit, formulis eorum Iuramentorum id quoq; contineri, ut deierationes, maledictiones & blasphemias puniant, eosce in criminosos quandoq; capitaliter animaduerant, sed tamen propter prædictas blasphemias & criminationes seu deierationes nulla pœna multatue constituta sit: Idcirco præcipimus & mandamus nos seuerè omnibus Electoribus, Principibus, Statibus, Communitatibus sacri Imperij, ac militum etiam tribunis, præfectis seu capitaneis: & uolumus atq; iubemus, si qui deinceps milites conscribent suscipiētq;, ut in omnibus eorum formulis & catalogis articulorum iuratis ponant, se non solum pœnarum & multarum causa erga personas, quæ Deum creatorem nostrum, redemptorem & saluatorem, ac Mariam benedictam matrem eius, & dilectos sanctos Dei blasphemantes, uerùm etiam earum deierationum & blasphemiarum nomine, pœnas, ac multas, quæ stipendijs eorum detrahantur, obsecuturos fore, quæ multæ quidem deinceps pauperibus priuatorum in alimoniam, aut uirginibus pauperibus conferantur præbeanturq;. Capitanei uerò, Tribuni, Centuriones, seu prouisores militum, seuerè & acriter dent operam, studeātq;, ut blasphemie, criminationes & deierationes, de quibus antea mentio facta est, ab uniuersa, totaq; calorum & lixarum turba euitetur similiter caueaturq;, sub pœna capitali.

Articulus  
brieff.

*Quæ res in militia ac bello priuilegiatæ sint.*

*Caput sextum.*



**I**n ueteri militia apud priscos Imperatores ac principes exercituum laudabiliter usitatum est, quemadmodum & historiae multifariam perhibent atq; demonstrant, Ecclesias & alia sacra loca immunia & priuilegiata: Sacerdotes item & Ecclesiasticæ personæ, senes & ægroti homines, agricolæ, grauidæ mulieres, puerperæ, inge-



nuæ foeminæ, & uirgines in rebus & negocijs militaribus ac bellicis non spoliatae nec ui uolentiaue obrutæ sint, neq; ut spolientur, aut uiolentur, seuerè & acriter caueri. Propterea & nos præcipimus omnibus Tribunis, Centurionibus, et Capitaneis, his mediâtibus seuerè & acriter mandantibus, ut apud omnes eorum milites in formulis articulorum & iuramentorum statuunt & caueant provideantq; ne Ecclesiæ, aliâq; sacra loca, adeoq; Sacerdotes, priuilegiatae personæ, senes & infirmi, seu ægroti, Agricolaë item, grauidæ mulieres, puerperæ, ingenuæ & honestæ foeminæ, uirgines & infantes, ab omnibus ipsorum calonibus et lixis, totaq; calonum turba securè tutæq; sint, nec deprædentur, nec uim uiolentiamue patiant, & nequaquam molestantur aut prægrauentur. Quicumq; uerò cõtrâ fecerint, corpore & capitaliter puniantur. Huius autem nostræ ordinationis singuli pedites, Tribuni, Cõturiones, Capitanei, antigrapha apud se habeant eiusdem tenoris, ac militibus unâ cum formulis articulorum iuraturis legenda præbeant, & seuerè obseruare præcipiant. Similiter & eorum prouisoreshorum mandatorum ac præceptorum antigrapha seu copias habeant, eaq; præcepta seuerè & acriter custodiant atq; conseruent. Si qui equites autem nullo sub uexillo, signis aut ordine, sed alicubi in oppidis, uicis, & uillis degant seu laborent, contra eosdem poenarum & mulctarum omniũ ratione ac modo, quemadmodum & contra incolas ipsos, res gerenda, negociumq; exercendum fuerit.

*De ascopis, & acotronis, id est, uogantium militum conuentibus, uulgum plebemq; grauantibus. Caput septimum.*



I qua porro accideret, in Electoris cuiusquam, principis, alteriusue status ecclesiastici aut secularis, principatu seu dominio, peregrinos equites aut pedites congregari, singulatim, cateruatim, aut alio modo, agmine quodam magnoq; numero, præter Electoris, Principis, aut Domini, cuiusq; loci, uoluntatem, ac permissionem ingredi, uel populari etiam conarentur: ex tunc Elector quidem, Princeps, aut Status, in cuius dominio seu territorio eiusmodi milites sese conglomerant, interpellet, queratq; ab eis, cuius domino militent ac seruiant, ducanturue: quod si nos aut dilectum fratrem nostrum, Romanorum Regem, nuncupauerint, idq; literis seu diplomate aliquo demonstrauerint, obedienter proficisci suis impensis permittantur. Quod si uerò herum uel autorem non habeant, quem uerè indicare possent, aut etiã si nominauerint, sed eũ collectum militem, cuiuscunq; nomine fuerit congregatus, citra nostram



stram permissionem, citraq; cognitas, urgentes & rationabiles causas conscribendi non haberet potestatem, ac demonstrare nequiret: tunc quidem Elector, Princeps, aut Status, sub cuius dominio seu districtu uagantur, omnem nauet operam, omnemq; adhibeat diligentiam, cœtum illum seu colluuiem militum, singulatim aut cateruatim dissipandi ac dispergendi. Si qua uerò ipsi per sese id facere impossibile foret, tunc in propinquo adiacentes & confidentes Electores, principes, aut Status ilicò imploret uocetq;, iuxta qualitatem, sibi, iuxtaq; numerū & uim factionis illius, uel alijsq; uiribus militaribus auxiliari, aut si necesse fuerit, etiam bellicis tormentis obuiare, mox, & quantocyus fieri poterit, eamq; factionem ac militē incertum, ut prædictum est, uerbo uel facto, uel uoceue, absq; aliorum iniuria & damno, extra diocelin prouinciamq;, quantum fuerit possibile, dispellere ac propulsare. Ductores uerò seu principales, ubi præstò fuerint, aut postea in alijs locis reperti fuerint, cōpellantur non tantum subditæ plebi illata damna resarcire ac restituere, uerum etiam Ductores ipsos, Capitaneos, Autores & concitatores eiusmodi factionis & turbe, iustis debitisq; pœnis subiicere. Idq; Elector, Princeps aut Status, ad requisitionem, ut præfatum est, suis impensis facere teneant, sub nostra & Imperij graui indignatione, insuper et multa quadraginta Marcarum auri puri, nobis pendenda exoluendaq;. Quam pœnam Fiscalis noster Cæsareus à cōtumacibus, ut par equumq; est, his mediantibus exigendi potestatem habeat. Nihilò secius tamen Elector, Princeps aut Status ille, qui sic pro ope auxilioq; ferendo interpellasset, aduersus contumacem damni passi actionem tam sui ipsius, quam subditorum suorum nomine instituere, si quod damnum passus fuisset, idq; coram Imperiali nostro Camerae iudicio, ubi contumax quoque respondere tenetur, & damnum passum restituere, ex sententia dicti Imperialis nostri Iudicij. Etiam si uerò ex enumeratis causis miles feratur, Capitanei tamen & Ductores pro comœtu & alimonijs fideiubeant caueantq;: ad quæ prestanda, medijs suis iuramentis, adigantur & compellantur.

*De Computationibus & Ebrietatibus.*

*Caput octauum.*



VM & ex ebrietate & computationibus, ceu quotidiana docet experientia, Deus omnipotens mirificè offendatur & irascatur, multaq; uitia & flagitia inde nascantur et emergant: Preteritis quoq; Comitibus propter computationes et ebrietatum causa constitutum erat, ut quisq; Magistratus computationes abrogaret, et ebrietatibus aduersaretur, transgressores uerò ac delinquentes seuerè puniret.

Quæ



Compota-  
tionum &  
ebrietatis  
scelera,

Quæ ordinationes quidem ac constitutiones hæcenus tamen parum tanto malo profuerunt, quin abusus is & ataxia compotationum et ebrietatum magis undiq; magisq; ac frequentius grassata est, ac ceu radices in helluonum fundo egit, ut propemodum extirpari amplius non possit. Ex quo blasphemiarum, criminationes, calumniae, deierationes, homicidia, caedes, adulteria, ac similia crimina & flagitia, uitiorumq; omne genus, uelut ex agmine facto exundarunt, hodieq; dum exundant: cum alioquin ex ebrietate res tacendæ & secretæ quandoq; prodantur, Eoque potationis ac bibacitatis uitia Germanis peculiaria, quorum uirtus tamen apud priscos sæpe laudata, 2 apud exteras modò plerasq; rationes uituperio, ludibrioq; est. Sæpenuero etiam ex illa inter milites rixæ, contentiones, tumultus, & seditiones exortæ, & aduersus principes ac ductores contumaciæ & rebelliones: commeatus quoque & uictus sumptusq; crescunt & augmentantur: Conuiuia uerò honesta, & societates decoræ, ex quibus olim Germani comprimis laudati fuerant, minuuntur ac euitantur, ut interea sileam, compotationes et ebrietates illas, τῶν πέντων κακῶν, omnium malorum causam esse, hominisq; uitam simul & animam, felicitatem, decus, honorem, fauorem, sensus longæuitatem, & uires perdere. Quocirca mandamus omnibus & singulis Electoribus, Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, ac cæteris Statibus, cuiuscunque dignitatis, conditionis, status, aut nationis sint, ut suis subditis exemplo sint, maioremq; in eos animaduertendi occasionem habeant, ultrò suaq; sponte potationes & ebrietatē euitare, ac in aulis suis, satrapis, ministris, familiaribus: tum & in ipsorum principatibus, dominijs, terris, territorijs, omnibus subditis, sub acriter seuerâq; pœna ac punitione prohibeant compotationes, quocunque modo fiant uel fingantur, fieri aut fingi possint: ipsimet quoque idem mandatum strenuè conseruent atq; custodiant. Patres familiaris quoque suis domesticis & familie, liberis, seruis & ancillis, mandent atq; præcipiant, blasphemias, criminationes & deierationes in Deum, Deiq; genitricem, & sanctos Dei, deuitent ac caueant, ac quoque à compotationibus & ebrietatibus omnino abstineant, quemadmodum his mediantibus strenuè atq; seuerè præcipiendo iubemus & mandamus.

3 Volumus item, ut Magistratus suis Parochis & Concionatoribus præcipiat, singulis Dominicis diebus uulgo ac plebi annuncient, ut compotationibus abstineant, enumeratis ac percensitis uitijs & flagitijs, quæ ex compotationibus oriantur, et ex ebrietate sequantur: prout formula illis eiusmodi denunciationis per Magistratum porrigetur.

*De inordinatione & ataxia uestitus, eiusq; luxu seu splendore. Caput nonum.*

Post.





OSTQVAM honestus ac moderatus uestitus ex sua dignitate & statu quenque decet ornatq;. Gerat enim unusquisque sese ac uestiat ex modulo dignitatis, honorum, rerum ac facultatum suarū, quo discrimen sit in cuiusq; status hominibus. Modus autem uestium ac ornamentorum cum in tantum luxum deuenerit creueritq; inter dominos, equites, nobiles, ciues, & colonos, seu agricolas, hoc pacto modoq;, ut idcirco non solum priuatae personae, uerum etiam nationes & prouinciae inde extenuentur, egentioresq; efficiantur: uidelicet, cum per aurea, argentea, sericaq; indumenta, per Dammasena, Attalafena, Byssina, aliosq; peregrinos pannos, Mitras, margaritas, uniones, qui hodie abusus ad luxum magnus est multusq; in Germanica natione, ex qua trañcitur atq; aueritur in peregrinas et alienas regiones ingens pecuniarum copia: ut interim de liuore, odio atq; inuidia, in diminutionem ac detrimentum Christianae dilectionis conticescamus. Quandoquidem igitur in tanta uestium luxuria, & ut ita dicam, preciositate & prodigalitate immodestia exuberat, sic, ut inter Principem & Comitem, inter Comitem & Nobilem, inter Nobilem & ciuem, inter ciuem & colonum siue agricolam, nullum discrimen, nullaq; agnoscat differentia: Idcirco uniuimus & cōcordauimus nos cum Electoribus, Principibus, & Statibus, ac ordinationem de uestitu amictuq;, hoc pacto modoq; ut sequitur, cōstituimus, quam etiam sub poena & multa imposta obseruari custodiriq; uolumus atq; iubemus.

*De ciuibus, agricolis, & colonis, alijsq; subditis.*

*Caput decimum.*



V M in ciuibus & incolis, inq; mercatoribus, institoribus & negociatoribus, ac opificibus, in ciuitatibus, & eorum ministris, itemq; in militibus, adeoq; in pagis & colonis, eorumq; uxoribus & liberis immoderatus iuxta ac inordinatus uestitus seu amictus conspiciatur comperiatq;, in ornamentis & cimelijs, maximo Reipublicae detrimento: idq; malum patriae populoq; perniciosam radicem egisse: Ad haec cum scorta & meretrices, lictores & Iudaei tali uestitu utantur, quò honestas supprimitur, & cuiusque conditio & status nequit internosci: atqui in ea ipsa re tota communis ordinatio obdispares dissimilesq; mores & usus ditionum conscribi non potest: Proinde ordinamus ac uolumus, ut eo circa quisq; Magistratus intra annum proximum, sub poena duarum Marcarum auri puri tenearur



neatur, ordinationem bonam, honestam & firmam componere & constituere, eamq; ut decet, conseruare, contumaces uerò, immorigeros atq; rebelles punire. Si qui uerò Magistratus negligens in his reperiatur, nullamq; iustam eius excusationem habeat, aduersus eundem quidem Magistratum Fiscalis noster Cæsareus procedet ut æquum est, ad indictam pœnam infligendam.

*De Nobilitate ac Nobilibus. Caput undecimum.*



**N**ORRO nobiles, sericas aut carmasinas atlasinas uestes non gerant, eis autem ad summum permittuntur damasinae, aut similes, quas sex ulnis de serico tantum, nec amplius, simbriari poterunt. Similiter poterunt annulos aureos, aureasq; uitras seu tiaras, unamq; catenam auream gestare, ualoris non amplius ducentis aureis, quam tamen filo cingant uel inuoluant, prout antiquitus factitatum est.

- Si quis uerò principis architrclinus, Magister curiæ, Cancellarius, Marschalcus, aut Consiliarius, nec tamen nobilis fuerit, poterit se simul cum uxore sua, & liberis, in modum nobilium, ut dictum est, uestire seu gerere. Milites uerò (seu Equites aurati) ab his eximuntur, quibus catenas aureas, absq; filo cinctas seu implicatas aperte ac publicè gestare liceat & permittatur, ne tamen eedem ualore quadringentos aureos excedant. Quibus & prohibitum non sit, Marschalinis pellibus indui ac uestiri. Nobilium item uxoribus concedantur quatuor sericæ tunicæ, quas gerere palàm ac publicè poterunt, uidelicet unam sericam (*Sammæ*) alias tres de Damaso, aut simili serico, ne tamen plures sint quàm quatuor, & quoq; sine margaritis, sine argento aut auro. Quas si libeat simbriari margaritis, aut intexere argenteis telis filisue, superiùs quidem id permittitur, non ultra mediam quartæ ulnæ partem latitudine. Equitis autem (aurati) coniunx simbrias eiusmodi intexere margaritis, auro, aureisq; filis superiùs poterit; nec latius unius quartæ ulnæ media parte. Si que uerò plures uestes prædictis modis habeat, easq; suis liberis & filiabus reseruare uellent, id liberum ipsis concedetur ac permittetur. Liceat eis quoque tiaras seu Birretas, aureasq; uitras gestare, sic tamen, ne ligamina et ornamenta addita aureorum quadraginta precium excedant. Fœminæ item nobiles & ingenuæ, catenam, sibilam, torquem, aliaq; cimelia præter annulos precio ducentorum aureorum, nec ultra plurisue gestare licebit. Similiter aureas bortas & cingulos, qui precium quadraginta aureorum non excedant.

*De Doctoribus, eorumq; uxoribus. Caput duodecimum*





**O**CTORES item, & uxores eorum, poterunt, liceatq; ipsis uestes & amictum, catenas, aureos annulos, aliaq; statui eorum conuenientia, priuilegijsq; conformia gestare.

*De Comitibus & Dominis (seu Baronibus)*

*Caput decimum tertium.*



**C**OMITES, & Domini (seu Barones) non gerant aureas & argenteas uestes, hoc est, ex aureis & argenteis filis textas, seu amictum, solummodò sericum, uel bombycinum, *Sammata* / Carmasina, aliaq; sericis filis texta uestimenta, sed auro non intertextata uel simbrata, nisi Equites (aurati) fuerint. Eis & catenas gestare licet, quæ tamen 2  
quingentos aureos precio non excedant. Similiter sese Comites & 3  
Domini (Barones) amictu poterunt pellicibus, exceptis *Zobelinis*, alijsq; preciosioribus. Coniugibus quoque eorum liceat sericas ue- 4  
stes auro & argento infimbriatas & intertextas gestare, præter catenas & cimelia, sexcentis aureis preciosiora, præterq; tota aurea aut argentea uestimenta, à quibus pro discrimine ac differentia altioris status, gestare sese abstineant.

*De Ephippijs & ornamentis Equorum. Caput decimum quartum.*



**Q**VANDOQUIDEM in ephippijs etiam & equorum ornamentis 2  
luxus & sumptus superfluus reperitur ac cernitur, nulli porro liceat ephippia tribus aureis preciosiora, extra 3  
arma, & ea quæ ad armatum pertinent, fuluaq; ephippia 4  
gestare ducere, nisi fuerit Eques (auratus). Nec Comes quispiam, Dominus, Baro, aut Eques, eiusue minister uel seruus, ephippijs 5  
sericis, & ex filis bombycinis textis (*Sammata*) utatur, neq; aureis 6  
uel argenteis qualibuscunque, tantum in his, Electoribus, Principibus, ac principum similibus exceptis, qui secundum eorum statum 7  
ipsi, equiq; eorum ac ministri, quos habent sub suis Marchallis, talibus ephippijs uti poterunt.

*Huc factus  
titulus C.  
Nulli licere  
in frenis, in  
equestribus  
sellis, & in  
balteis mar-  
garitis,  
smaragdes  
& hyacin-  
thos apta-  
re, & de ar-  
tificibus  
palatinis,  
lib. 11.*

Si quis item à suo principe, domino, alteriusue herilis status alio 2  
quo munere, ueste, aut cimelio donatus fuerit, ea ipse dona quidem in 3  
principis ac domini sui honorem portare gestareq; nequaquam pro-  
hibeatur, eo uidelicet casu, ita tamen ne quis dolus malus, frausue  
aliqua interueniat aut usurpetur.

Cum quoque hæc ordinatio eo tantum respectu & ratione susce- 3  
pta institutaq; sit, ut luxus & abundantia uestitus auertatur, arceaturq;  
si qua porro Elector aliquis, Princepsue aut Status, in sua di-



tionem ac superioritate, uestitus ergò, alteriusue rei causa ordinationem quampiam acriorem hac nostra seuerioremq; in profectum & utilitatem suae ditionis ac subditorum, cōstituere uellet, aut iam antea constituisset, eidem Electori, Principi ac Statui liberum sit, nec isthac ordinatione & constitutione uetetur remoreturue. Neq; te-

*Nuptialis  
sumptus &  
uestitus.*

neatur quisquam in elocatione suorum liberorum huic ordinationi directò, omnino uere parere, sed licebit ei elocare, nuptiisq; dare, iuxta uires sui patrimonij, facultatumq; suarum: haud tamen sumptuosius uestire licebit.

*De Clericis  
ecclesiasticis  
eorum uestitu.*

Constituimus etiam, uolumus ac iubemus singulariter, atq; in specie, uti omnes Electores, Episcopi ac Praelati, Clerum suum & Ecclesiasticos eò perducant, inuitentq;, habitum ac uestitum ipsorum statui conuenientem atq; decentem, in ciuitate atq; ecclesia, in foro et choro gerāt, quomodo id honestas, modestia & pietas sancta sacraq; exigit atq; requirit: Immodestia uerò & luxus uestimentorum eis prorsus est uitandus.

Est & euitandus atq; cauendus inutilis & superuacaneus ille sumptus hactenus in deaurando cupro, ferro, & lapidibus factus: Idq; ita aurifabris, pictoribus, alijsq; artificibus inaurandarum rerum solitis & gnaris, sub poena decem aureorum, ne quid porrò eiusmodi in aurent, Magistratu id acriter & seuerè uetante. In quo tamen Electoribus & Principibus, & in ijs, quæ ad honorem Dei, ministeriaq; sacra spectant, nihil uolumus præfinitum aut præscriptum esse.

Quò uerò hæc nostra constitutio & ordinatio, nimij uestitus cultusq; ergò, ac ob cimelia omittenda, firmitus obseruetur & exequatur, sancimus atq; mandamus, omnibus & singulis Electoribus & Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, Prælatibus, Comitibus, Baronibus, dominis, Equitibus, ministris, Schultetibus, Burgimagistris, Iudicibus & consiliarijs, hisce mediantibus seuerè, ac uolumus, ut ipsi met hanc nostram constitutionem & ordinationem seuerè iuxta ac diligenter obseruent, ac in subditis & officiatis, ac ipsos attinentibus firmiter præstentur & exequantur, ita, ut si quis contrà fecerit, nec mandato nostro obsecutus fuerit, parueritue, eum quisq; Magistratus sub amissione uestis & cimelij seu clinodij, quod huic ordinationi aduersum gestatur, unà cum multa in duplo tanta puniat, quanta uestis ipsa, aut cimelion æstimetur, illi quidem Magistratui pendenda, cuius est ciuilis iurisdictio eiusdem loci. Quòd si uerò Magistratus quispiam ipse hanc nostram ordinationem transgredere, aut in poena exigenda, manuq; tenenda negligens reperiatur, & noster ob id Fiscalis interpellaret pro emendatione, at nihilominus tamen in contumacia Magistratus perseueraret, tunc uerò Fiscalis ipse noster, contra cessatorem Magistratum, simul & delinquentem subditum,

ad exa-



ad exactiōnem dictæ pœnæ ac mulctæ pergat procedatq; , &c.

*De quibusdam articulis, in quibus Magistratui ordinationem  
facere mandatur . Caput decimum  
quintum.*



**AETERV**M duximus in animum, plures quandoque impensas, & sumptus nimios, nec admodum necessarios fieri in nuptiis, puerperijs ( suscipiendorum infantum ex sacro baptismatis fonte ) & sepulturis, similibusq; alijs minimè paucis sumptibus, multum sæpe inutiliter collatis : Præterquam quòd & in alijs punctis, in ulnis, mensuris & ponderibus, immoderatis diuersiorum & hospitum exactiōibus, item opificum & mercenariorum, nunciorum mercedibus cibisq; torcularium, apparandorum uinorum, omnis generis ataxiæ, inæqualitatis & iniquitatis uitiorū modum excedentium in Reipublicæ detrimentum, grauaminum & impedimentorū. Ad hæc opificum quorundam, uelut stannifusorum, pannitonforū, & similibum, quos si exteri salutant, & ad operas conducunt, sumptus mox & impensas inutiles ac superuacaneas parant, conuiujs adornandis, quos sumptus deinde ad operas reputant atq; connumerant, sic, ut & ipsi opifices inter sese dissideant atq; contentant, eò potissimū, quòd non passim omnibus in locis concordent, sed differentes sint in annis institutionum, quapropter eos qui rude donantur, non ubique admittuntur, nec recipiuntur. Insuper & hoc contingit in opificibus & manuarijs, ut omnis generis dolimali, & fraudum in Reipublicæ detrimentum emergāt, tum & quotidie, ut uictus mercedisq; causa rixæ & contentiones suboriantur inter magistrōs & ministros, inter heros & seruos, quibus erroribus ac uitjs omnibus supra dictis remedia maturè quærenda sunt, per quæ illis obuiari obstariq; possit, ordinatione uidelicet ac modo, rationeq; aliqua salutari, quam necessitas omnibus modis requirit atq; expostulat.

Verū enim uerò, cū expenderimus in cunctis his punctis certam firmamq; ordinationem generalem, propter inæqualitatem regionum, earumq; usuum, consuetudinum, ac morum: quin & quòd uictus, cibus ac potus alicubi in ditione illa mediocriter parari, in hac uerò difficulter haberi possit, & annona hic grauis, alicubi mediocris sit, quocirca talium rerum constitutio, propter non modò inconstantem annorum atq; incertam uictus rationem, uerū etiam propter locorum diuersitatem, morum ac consuetudinum, ut dictū est: quin quòd in tali disparitate, discrimine ac differentia, cuiusq; regionis, ditionis, ac terræ cuiusq; natura atq; conditio expendenda sit, & animaduertenda, obseruandaq; , Idcirco operæ precium, ne



cessariumq; esse duximus, atq; existimauimus, eiusmodi puncta & articulos omnes Magistratui cuiusq; loci committendos esse.

3 Quapropter sancimus, ordinamus, ac uolumus his mediantibus acriter ac seuerè præcipientes atq; mandantes, ut Electores, Principes, & communes Status in omnibus & singulis prædictis punctis, articulis, ac propositis defectibus, per regiones, ditiones & territoria sua, iuxta qualitatem, conditionem ac usum illorum, bonas, honestas, rectas & firmas ordinationes, formas & modos constituent, uniuersæ Reipublicæ, communiq; bono conducibiles & salutare, tum & ad amouendos immoderatos ac superfluos sumptus atque expensas, tum ut doli mali fraudesq; caueantur & omittantur, alijq; abusus & uitia abrogentur, atque defectus, quantocyus fieri possit, nempe intra anni spacium proximè futuri, suis subditis ea omnia denunciantes, ipsoq; opere efficientes & exequentes, eaq; acriter ac firmiter manutinentes & conseruantes, contumaces & inobedientes puniendo & mulctando, uidelicet duabus marcis auri puri, quas mulctas quisq; Magistratus, qui aduersus ea quæ prædicta sunt, fecerit, nec moram rectè certoq; excusare poterit, Fiscali nostro Imperiali irremissibiliter pendere exoluereq; teneatur.

*De Nautis & Aurigis. Caput decimum  
sextum.*

*Nauta,  
caupones,  
stabularij,  
ff. lib. 4. C.  
de seruis  
fugit.*



**C**V M & frequenter nautæ, aurigæ, & uectores, qui uinâ terra mariq; seu fluminibus, pro nauulo & mercede transportant, in diuersorij, aut suis domicilijs, ac sub dio, & in nauibus seu curribus quandoque uina ex uasis auferunt, suo arbitrio, ignorantibus dominis, ac præter uoluntatem eorum, quorum illa sunt, infusa aqua, uasisq; aqua rursus repletis: Uolumus itaque talibus nautis, aurigis, & uectoribus, uina pro mercede, ut dictum est, uehentibus seu transportantibus, non solum prohibitum esse, uerumetiam emptoribus uinorum, ac aliò ad reuendendum transuehentibus, ne quid tale de cetero contingat: quin & si pariter etiam cum adiutoribus iuxta qualitatem delicti infamia notentur, corporeq; suo, & ære mulctentur. Quicumque etiam porrò nauita, nauclerus uel auriga, aliusue, quo tandem nomine uocetur, uina calce miscuerit, aut tale quoddam perniciosum addiderit, iniecerit ac falsauerit, is simili modo poenaq; ex qualitate delicti, criminisq; patrati infamia notetur, corpore & ære grauiter mulctetur: nos hæc cuilibet Magistratui seuerè mandantes, ut huiusmodi malus & perniciosus dolus, frausq; nefaria prohibeatur, ac euitetur, transgressores item seuerè ac atrociter mulctentur.

*De cona*



De contractibus foeneraticijs, seu usurarijs. Caput  
decimum septimum.

VANDO QUIDEM nobis propositum est, atq; improban-  
 innotuit, quomodo haectenus in sacro imperio uarij tur ij  
 ac multiplices foeneraticij atq; usurarij contractus, questus,  
 qui non tantum iniqui, uerum etiam impij, ac mini qui in odiu  
 me Christianos decentes, contra Deu iuxta ac leges, hominum  
 incurrun, ut portito-  
 usurpati sint, ac quotidie dum usurpentur: uidelicet, quod nonnulli rum, foer  
 quandam pecuniarum summam (ut exempli gratia dicam) octin neratorum  
 gentos florenos dent mutuò, attamen in contractus, syngrapha seu usurariis  
 obligationis litera uel cautione, amplius mille florenos ponant, ex & propo-  
 quo plus & supra quinque pro centum pendant, & in redimendo sic larum,  
 amplius quam sortem ipsam capiunt. Similiter sint alij, qui breuis mo  
 re ergò, termino solutionis praefixo, immoderatum interesse petant, Qui sint  
 ac sortis summam augeant, eamq; summam ac sortem uersent, adeoq; contractus  
 quod dicitur, uersuram faciant. Versuram autem facit debitor, cum foeneraticij  
 pecuniam mutuò accipit, & per eam pecuniam dimittit priores cre & illiciti  
 ditores insolutos. Zafius in §. item si quis. Institut. de actionibus. seu prohibi-  
 Est pecuniam ad interesse mutuari. Quosdam item siliginem, triti-  
 ticum, equos, pannos, & similes merces in pecunia emptionis no-  
 mine proponere, ac estimare, & pluris quidem atq; eiusmodi merces  
 unquam aestimari possint, & sic ingens foenus ex eo, uelut omnibus  
 patet, sibi comparare & acquirere soleant. Item alij mutuò dent pe-  
 cuniam, & de centenarijs capiunt nominatim quid: is uerò qui mutuò  
 sumit, magnam pecuniam mercedis & seruitij nomine, pro quo ta-  
 men nihil inserviunt neq; ministrant, sese deuincit atq; obligat. Neq;  
 eiusmodi seruitij precium seu solarium absq; solutione sortis & ca-  
 pitalis summe non audent neq; possunt recusare aut denegare aduer-  
 sus obligationem factam & contractum initum. Iam & quòd qui-  
 dam pecuniam in moneta dent mutuò, attamen cautionis litera au-  
 rum praescribit ac continet. Sunt & qui certam pecuniarum summam  
 absq; foenore mutuò dent, atqui tamen mutuò sumens cogitur quan-  
 doq; magnas merces illis leui uiliq; precio tradere, in quo mutuò da-  
 to sortem ac capitalem summam simul cum magno lucro, duplo aut  
 etiam triplo recipiunt. Quidam etiam mutuò dant cum hisce con-  
 ditionibus & pactis, quòd mutuò accipiens in quatuor nundinarum  
 temporibus nuncupatis pro censu & pensione reddat certam quan-  
 dam pecuniarum summam, tantam quidem, quae pro centum exce-  
 dat uiginti.

Cum autem huiuscemodi contractus, aut similes, usurarij & foer-  
 neraticij sint, diuino et communi iure prohibiti, praeterea et nostra atq;  
 que Imperij ordinatione, Anno millesimo, quingentesimo, Augustae



Vindellicorum grauiter uetiti. Idcirco consilio, scientia & uoluntate nostra & sacri imperij Electorum, Principum & Statuum, eandem ordinationem usurariorum contractuum ex uera recta q̄ scientia renouantes etcōfirmantes, statuimus, ordinamus, ac uolumus, ut tales iniqui ac illegitimi contractus, omniaq; iniusta pacta, pactiones, cōuentiones, negocia, quocunq; nomine uocentur, nominari & excogitari possint, omnino ac profus euitentur ac omittantur, nec ab aliquo, cuiuscunq; dignitatis, autoritatis aut status fuerit, præsumentur, uel usurpent, cum hoc simul omnibus iudicibus, ecclesiasticis & secularibus mandantes ac præcipientes, ubi tales usurarij contractus ipsis innotuerint, eos tanquam iniquos, indignos, irritos & inualidos iudicent, condemnent & declarent, quemadmodum & nos illos inualidos ac non obligatorios discernimus & declaramus, neq; super eisdem contractibus executionem concedimus aut permittimus.

Quinetiam si quis deinceps post publicationem huius nostræ ordinationis tali usurario aliquo contractu usus fuerit, amittat quartam partem sortis quoque & capitalis summe, eaq; suo ciuili Magistratui (alicubi hæreditarium ius appellata) accedat, & pro eadem quarta parte per dictum ciuilem magistratum puniatur seu mulctetur.

8 Qui si quidem in hoc negligens repertus fuerit, tunc eundem magistratum, Fiscalis noster Cesareus pro certa pœna, uelut pro duabus aut tribus marcis auri puri impetere atque accusare debet. Cum & census seu redditus cum pacto retrouendendi passim uulgò communiterq; usurpantur, centum quidem florenis quinque tantum, & non amplius annuatim, uelut usitatum est, floreni emanantur: offerendi uerò precij seu redimendi facultas, ex iure redemptionis, penes uenditorem, & non apud emptorem existat, non attento cautionis seu scriptæ obligationis eiusdem contractus tenore: & quicquid præterea datum, acceptum, aut tractatum fuerit, uolumus ut tale, ac omnia alia iniqua pacta seu cōuentiones pro usurarijs & inuilibus habeantur ac estimentur, etiam per iudicem haud aliter cognoscantur aut iudicentur, sed uti supra dictum est, puniantur.

9 Si qua uerò cautio census annui seu obligatio sub fideiussoribus constituta comprehensaq; esset, aut constitueretur, uolumus his mediantibus ordinatū esse, eandem cautionem seu obligationem haud extra sacrum imperium Teutonicæ nationis alienari, aut uenditorem, uadesue, aut fideiussores, Imperio subditos, extra illud citari uel uocari. Si uerò per emptorem contra fieret, ex tunc quidem uades seu fideiussores comparere, uel obsequi, & uenditor illos redimere non obligetur; Transgressor etiam mediam partem summæ principalis

Nota de contractu  
in si quis amittit  
se in unum uide  
folio 76



palis in obligatione seu cautione expressæ amittat, de qua medietate quarta uenditori, & reliqua quarta pars Magistratui, sub quo uenditor commoratur, assignetur, ac uendicetur.

*De Monopolijs, & damnosis propolijs. Caput  
decimum octauum.*



**Q**UANTUM de Monopolijs, dolosis ac fraudulentis negotiationibus, adeoque iniquis propolijs non solum in communibus scriptis legibus, uerum etiam in publicatis Imperij decretis & Receptis, sub grauibus poenis ac mulctis, ut sub amissione, periculo, & perditione omnium rerum bonorumque, item profligatione ac proscriptione saepe multumque, satis superque uetitum est cautumque: talibus tamen constitutionibus, receptis, decretis & mandatis hactenus minimè paritum est debite uel obsecutum, quin econtra paucis in annis plurimæ alicubi societates in mercatorum negocijs, & quædam priuatæ personæ, institores & mercatores in Imperio exorti sunt & extiterunt, qui uarias merces & mercimonia, item & uina, siliginem, triticum, & huiusmodi alia similia, à summis ad infimos ( in quibus passim hincinde explorationibus & indagibus undiquaque ualent, præsertim cum merces depereant, uel in maius precium & æstimationem exerescant, idque priusquam alijs institoribus seu mercatoribus innotescat ) in ipsorum manus ac potestatem soli conquirere moliantur, ad monopolia & propolia exercenda, mercibus illis estimationem ac precium suo arbitratu imponentes, aut emptori uel uenditori condicentes merces eas nemini, præterquam ipsis, uendituros, aut retenturos esse: aut ut uenditor, minoris uel aliter uedere nolit, quam conuentum sit, afficientes his artibus sacrum Imperium, omnesque Status maximo damno atque incommodo, aduersus prædictas communes leges scriptas, & omnem honestatem.

Econtra autem ad hæc pro Republica, eiusque commodo, profectu & utilitate iuxta ac ex necessitate ordinamus & constituimus, idque facimus his mediantibus seuerè, ac uolumus tales dispendiosas negotiationes, propolia, & ob ea factas conuentiones & pactiones, contractus & pacta, deinceps esse prohibita, uetita & abrogata, neque porro de cætero, neque per semetipsum, neque per alios usurpari uel tractari. Quicumque uerò contra egerint uel fecerint, eorum res bonaque confiscentur, suntque confiscanda, & Magistratui cuiuslibet loci, quorum ibi publica sunt, uel criminalia iudicia, applicentur ac addicantur. Societates quoque, institores & negociatores omni saluo conductu in Imperio per Magistratum destituantur ac priuentur, neque illius capaces esse debeant, quibuscunque uerbis, sensu,



- sententia aut clausulis eiusmodi saluus conductus scribatur aut tri-  
 3 buatur. Nec tamen per id cuiquam uetitum prohibitumue sit cum ali-  
 quo societatem inire ad merces emendas & distrabendas, tantum-  
 modo ne id dictę constitutioni, ordinationi & mandato aduersetur,  
 4 contraue usurpetur. Quisq; Magistratus etiam in sua ditione diligen-  
 ter atque seuerę disponat & animaduertat, ut præposita hæc ordina-  
 5 tio rectę obseruetur, & expediatur: Si quod ea uerò à quoquam, qui-  
 cunque sit, transgredereur, in eum Magistratus, ibi, ubi transgressio  
 facta, seu delictum patratum fuerit, ui & tenore huius ordinationis,  
 cum amissione rerum bonorumq; suorum, & proscriptione, ac cie-  
 ctione extra ditionem, irremissibiliter animaduertat, puniatq;.
- 6 Casu autem quo Magistratus ipse in eo deses & negligens esset,  
 idq; nostro Cæsareo Fiscali innotesceret uel indicaretur, Magistra-  
 tui uel superioritati ei quidem, sub qua institores, mercatores, aut ne-  
 gociatores illi commorantur, domiciliaue sua habent, significetur,  
 commoneanturq;, eiusmodi graua negotia intra Mensis spacium  
 ut emendent ac puniant. Quod si superioritas illa seu Magistratus  
 in præfixo statutoq; tempore non fecerit, uellet ex tunc ac cogereur  
 ipse Fiscalis ex officio suo contra eum procedere, agereq; ut æquum  
 sit, eius etiam faciendi potestatem tunc atq; ius habere, adeoq; absq;  
 mora facere debet. Quod si tali in casu cessatio aut negligentia su-  
 7 perioritatis, Magistratus, transgressorum, à Fiscali nostro coram  
 nostro Imperialis Camerae Iudicio agetur ac procedetur, delin-  
 quentibus & transgressoribus eiusmodi nullę prorsus declinatoriæ,  
 aut aliæ exceptiones, uel etiam auocationes ullæ, quocunq; modo  
 uel forma illæ proponantur aut fieri possent, concedantur, trans-  
 gressores nequicquã releuaturæ, multò minus ut per illa remittant,  
 aut ut remissionem aliquam desuper impetraturi sint.
- 8 Ad hæc superioritas & Magistratus, qui ad factam accusationem  
 in statuto mensis spacio atq; tempore in animaduersione ac punitio-  
 ne transgressionis cessat, negligensq; reperitur, per Fiscalem coram  
 nostro Cæsareo Camerae Iudicio accusari debet, ac pro centū mar-  
 cis auri puri irremissibiliter puniri, atq; mulctari.
- 9 Cùm & ui uirtuteq; supra allegatarum legum & iurium, unicui-  
 que tales transgressiones & crimina monopolarum & propolarū  
 deferendi & accusandi potestas data commissaq; sit, illi utique, qui  
 tale crimen & delictum patratum superioritati & Magistratui, sub  
 quo factum illud contigit, indicat & defert, aut casu cessationis &  
 negligentię, imperatorio Fiscali primū uerè certoq; significaue-  
 rit, triens seu quarta portio delinquentis bonorum tribuatur, quorū  
 uindicationem superioritas & Magistratus, aut casu, ut supra dictū  
 est, iudiciū imperiale, cæteriq; Status omnes, prouehant atque pro-  
 moueant.



moueant. Quòd si primus ille delator, cuius delatio postea uera cõ- 10  
perta foret, in simili causa eiusdem quoq; ipse delicti reus sonsq; exi-  
steret, tunc quidem nihil delinquentis ac transgressoris bonorum,  
neq; ulla portio ei tribuatur, alioquin in sons & inculpabilis haberi,  
nulla q; infamia notari, sed pro utilitate ac profectu Reipublicæ sibi  
imputari debet. In hoc item, ut in cæteris priuilegiatis casibus de ple- 11  
no atq; summarie procedatur, Iuri quoque & processui sua recta  
uia, suusq; cursus, absq; ullo impedimẽto aut remoratione cuiusquã  
restitutionis, supplicationis, inhibitionis, suspensionis, aduocationis,  
alteriusue similis remoræ, relinquatur ac permittatur.

Similiter præsens hæc ordinatio, constitutio, iussio, mandatum, 12  
præceptum, unã cum articulis, & intentione sua, uniuersos in sacro  
Imperio Teutonicæ nationis mercaturam exercentes, & negocian-  
tes comprehendat & complectatur, Omnesq; Principatus, Domi-  
nationes, Dominia, Ciuitates & Communitates uinciat & ob-  
liget. In aduersum autem, nullus saluus conductus, nulla secu-  
ritas, aut priuilegium, quacuncq; forma & pretextu id præbeatur aut  
exhibeatur, quenquam tueatur aut defendat, protegatue. Inchoetur  
quoq; hæc ipsa ordinatio & constitutio intra duos menses, re ipsa  
effectualiter, post publicationem & denunciationem eius factam.

*De uenditione frumentorum & fructuum in agris  
& prædijs. Caput 19.*



**V**ANDO QUIDEM non absq; pernicioso graua-  
mine uulgi plebisq; re ipsa experitur atq; cognoscit,  
quòd miseræ plebi, uulgoq; per quosdam pleonecti-  
cos, & quasi frumētarios prædones seu frumētarios  
negociatores & auaros homines in specie & præte-  
xtu emptionis ac negociationis adsata sementaq; eo-  
rum in agris: Vinum item ac botros in uitibus, aliosq; fructus, &  
frumenta, labores, opera, armenta, æs, pecuniamq; mutuò dederint,  
per quæ pauperuli coloni, egeniq; illi, quæ duro labore, sudoreq;  
acquieserunt, uiliori precio, leuioiq; quàm alioquin usitato conue-  
toq; more & æstimatione soleat, uenundare cogantur. Quæ res non  
illi pauperulæ plebi & colonis tantummodò damna atq; dispendia  
irrecuperabilia infert, uerùm etiam dominis ipsorum seu proprie-  
tarijs, quibus eò minus debita & credita præstare reddereq; possint, 2  
uidelicet maximo suo malo damnoq;, præterquàm quòd ea aduer-  
sus sacras & humanas constitutiones, contraq; dilectionem proximi  
sunt, contraq; bonos mores pugnent.

Quapropter sancimus, constituimus, & ordinamus, ut quisque  
pauperi plebi in necessitate, & quò agros, prædiaq; sua melius faci-  
liusq;

*Legis fru-  
mentariæ  
meminit  
Auctor ad  
Heren.  
lib. 1.*



liusq; excolere possit, alijsq; necessarijs uictualibus & alimentis opē ferat, pro uinis, frumentis, fructibus, alijsq;, communi precio, ualore & aestimatione eiusdem temporis expendere, soluereq; debeat, nec de & super eisdem mercibus mutuū dare prohibitum sit. Quòd si uerò secus quàm modò dictum est, agatur, & in ijs quidquam doli fraudisue fiat, & committatur, Volumus atq; decernimus acriter, ut talis emptor seu mutui dator, sortē capitalemq; summam perdat, etiamc; à Magistratu, iuxta qualitatem & conditionem causæ, mulctetur & puniatur.

*De Iudæis, & eorum usuris. Caput 20.*



**V**M alicubi locis quibusdam Imperij Teutonicæ nationis, Iudæi usurarij non tantum ad magnas a securaciones, cautiones, & obligationes, fideiussiones & hypothecas, uerum etiam ad rapinas & furta, quibus usuris uulgum, plebemc; miseram, egentem, & improuidam, supra quàm quisquam aestimare possit, grauant, onerantq;, quin etiam miserabiliter perdunt, & ad pleraq; facinora flagitiaq; eis occasionem præbent. Itaque constituimus, ordinamus, ac uolumus, ne quis porro Iudæos suscipiat, aut ulli suscipere concedatur, præterquàm illis, qui à nobis & sacro Imperio Regalia habent, aut specialia ad hoc ipsum priuilegia acceperunt. Quisque item Magistratus, sub quibus Iudæi habitant, necessariam iustamq; prouisionem faciant, ordinationem formaq; æquā cōstituentes, ne qua sui aliorumq; subditi p Iudæos, eorumq; impias & execrabiles usuras tam miserè grauentur, ac perdantur: & in ea re æqualis ordinatio inter extraneos pariter ac incolas obseruetur.

Caueant quoq; Iudæi, & abstineant sese à furtiuis rebus, & rapinis emendis: aut si quæ res eiusmodi apud eos reperiantur, illis, ad quos pertinent, reddantur, ac restituantur, ubi id docuerint, & ad se pertinere probauerint, absq; omni detrimento atq; incommodo.

*De uenditione pannorum laneorum, & ex filis laneis textorum, totorum, aut particulatim ad ulnas conscissorum.*

*Caput 21.*



**V**ONIAM & id quidem compertum est, quòd in uenditione τῶν ὑφασμάτων, id est pannorum laneorum, totorum, uel particulatim, quibus uestimur, & membra cooperimus, multum pleonexiæ & imposturæ usurpatur, et emptor quandoque grauitè decipitur: uidelicet



videlicet cum panni per instrumenta textoria nimium extenduntur, deinde per aquam & humiditatem madidi facti, multum in mensura emptori decedit: interdum etiam panni ferrugine tincti maculosi fiunt, in dispendium ac detrimentum totius Reipublicæ. Proinde statim ordinamus, ac uolumus, ne deinceps in Imperio sacro, Teutonice nationis, ullus pannus ulnatim seu per ulnas mensurando uendatur, nisi antea tinctus, ac madidus aqua, & tonsus fuerit. Verum utique toti integrique panni non tensi, atque tincti uendantur, sub poena & multa amissionis & perditionis eiusdemmodi panni. Quod si uero tincti & tonsi essent, ac iterum bisque tensi reperirentur, idem illi panni pro damnatis ac perditis in utroque predicto casu habeantur ac reputentur. Ac multa quidem Magistratui sub quo uenduntur, & cuius civilis ea est Iurisdictio, absque medio debeat. Hæc autem ordinatio nostra incipiet in sex mensibus proximis, simul atque Comicia hæc nostra finita fuerint, ac deinceps sic, absque intermissione obseruetur ac exequatur. Quemadmodum de & super his in sacro Imperio Teutonice nationis, sicubi necessarium fuerit, mandata ac precepta euulgaturi & publicaturi sumus.

Si quis uero Magistratus socors in his & indiligens comperiat, nec in transgressores animaduertat, potestatem facimus cuiuslibet fontem & transgressorem coram eius competente Iudice, uel eo loci, ubi cum panno repertus fuerit, pro pannis contra ipsos agendi atque impetendi, per quos aduersus dictam constitutionem deliquit, sibi actori eosdem pannos ut reddat tradatque, qui etiam sufficienti ex cognitione seu re experta, iure sibi acquirat atque impetret.

Cumque in natione Teutonica boni conficiantur panni, ita, ut exterarum nationum pannis commodè ac utiliter carere liceat, & pecunia, quæ pro exteris & peregrinis pannis expenditur, in natione Teutonica retineri ac conseruari possit: Idcirco Magistratui hoc mediante iniungimus atque præcipimus, hac in re æquam utilemque ordinationem uti suscipiant, faciantque, prouidendo, ne lanifici textores lana careant atque indigeant, sed eas æqua iustaque mercede ac precio uenales habere queant, nec lang passim tanta copia ad exteras nationes transuehantur.

Quandoquidem in proscenijs & textorijs, aliasque ante mercatorum thecas umbraculorum appendices faciunt institores pannicide, per quas nec colores, nec lina seu telæ pannorum probè agnosci poterunt, quando sic obfuscantur & obnubilantur: uolumus eiusmodi proscenia & tectoria auferri, & per Magistratus deinceps non tolerari, patiuè, ne emptor per ea decipiatur & defraudetur.



De egenis, depauperatis seu decoctoribus, & perditis institoribus & mercatoribus, qui ob æs alienum paupertatem simulant.

## Caput 22.



VM & frequenter, sæpe multumq; per institores, negociatores & mercatores, dolose ac fraudulenter specie & pretextu fidei ac fidelitatis nummi atq; pecuniae ab alijs mutuò accipiantur ad exercenda peragendaq; sua negocia: qui quandoq; non bona fruge, sed luxu fastuq; suo, inordinata, immodestaq; uita, nec seruata aliqua mediocritate, alijsq; uarijs modis, præter quã & absq; eo, ut corpore, rebusue suis quidquam aduersi, infortunijue, aut incommodi, seu captiuitatem, uel ex actionem aut *λύτρωσις* aliquã passi sint, ad egestatem & pauperiem deuenerint: postea surgunt, & profugiunt, aliò se ad alias ditiones & dominos proripientes, & ab ijs aduersus Magistratum suum, & actores seu creditores, à quibus mutuò pecuniam & merces sumpserunt, saluum conductum accipiunt, receptantur ac prouehuntur: Cumq; eiusmodi technæ, doli mali, fraudesq; ac noxiæ actiones & conatus, quæ furto comparantur, magno Reipublicæ detrimento sint: Constituimus itaque, <sup>2</sup>ordinamus, ac uolumus, ut tales institores, ac negociatores, qui proposito dolose ac fraudulenter, non ex casuali aut accidentali publicè noto infortunio aufugiunt, & sedem euertunt profugi, deinceps nusquam ab ulla potestate aut Magistratu recipiantur, uel absque uoluntate & consensu creditorum salui conducantur seu sustineantur, uel tollantur: quinimò, ubicunque locorum inueniantur, apprehendantur, & capiantur, actoribus & creditoribus suis de iure responsuri, ac iuxta qualitatem negocij causæq; puniantur. Ac ubi rursus se domum conferrent, ad nulla honesta munia uel officia, seu dignitates asciscantur. Quòd si uerò cognito casuali infortunio, damnum passi, & ob id in egestatem coniecti fuissent, tunc quidem recipi, & saluo conductu uti fruiq; poterunt, sibi compatiendo, & communi iure aduersus eos agendo.

Bandens  
rodt ma-  
phen.

Moratoria  
Quinquen-  
nalia.

<sup>3</sup> Quandoquidem etiam plerumq; à Romanis Imperatoribus & Regibus Moratoria uel Quinquennialia impetrant ac obtinent, attamen medio tempore, aut post exitum quoque illorum, creditoribus suis haud quaquam satisfaciunt, uel se cum eis componunt transigendo, &c. Volumus itaque his mediantibus seuerè, ne huiusmodi Moratoria aut Quinquennialia deinceps illis indulgeantur aut concedantur, nisi nos ipsi, ac subsequentes Romani Imperatores aut Reges, antea rectè informati atque edocti fuerimus à Magistratu, sub quo egeni ac depauperati illi institores, mercatores & negocia-  
tores



tores habitauerunt, Vel ut iſdem inſtitores & negociatores fide digna teſtimonia edant proponantq; , quomodo ex fortuitu inopinatoq; infortunio & caſu tempore & rebus ſuis damnum paſſi, & profugi facti ſint, & quòd in huiuſmodi caſibus Moratoria et Quinquennalia locum habeant & ualeant. Quæ ſi uerò alio modo, & ſuppreſſa tacitaq; ueritate impetrarentur & obtinerentur, irrita ſint, nullasq; uires habeant.

*De uenditione Gingiberis.*

*Caput 23.*



**M** ad nos quoque plures querelæ deferantur, quòd in uenditione Gingiberis uarij doli fraudesq; uerſentur & uſurpentur, in præiudicium ac detrimentum Reipublicæ: Volumus, ut deinceps in Imperio non coloratum, ſed album, nec fucatum Gingiber habeatur aut uendatur, ſub pœna multaq; amittendi eiuiſmodi Gingiberis: Veluti ea propter in ſacro Imperio Teutonicæ nationis, ubi neceſſitas poſtulauerit, mandata præceptaq; edemus ac publicabimus. Quò & tales doli fraudesq; ſpecierum eiuiſmodi innotescant, ac pateſcant, quidam in ſingulis circiſpectores ordinentur ac deputentur, qui id genus ſpecierum (uel aromatum) inſpiciant. Quòd ſi quicquam doli mali fraudisue cõperiant, uel quidem Magiſtratuſi indicent atq; denunci- 2

*De Equitum ſeruis & miniſtris.*

*Caput 24.*



**V** AND O QUIDEM & hoc frequenter contingit, ut alter alterius miniſtros & familiares ſibi dolo & fraude arroget aut uendicet, uel ſerui quandoque & miniſtri ſua petulantia & temeritate abeant: Volumus igitur, ne quis alterius equeſtres, ſeruos, aut miniſtros ad ſe alliciat, aut etiam ſuſcipiat, niſi teſtimonium habeat ac monſtret, quo doceat miſſionem heri ſui aut nobilis uoluntari- am atq; honeſtam fuiſſe & eſſe: quòd teſtimonium miniſtro herus aut nobilis dare teneatur. Quòd ſi uerò recuſaret aut denegaret, tunc ſeruus illum duobus uiris interpellet ac requirat teſtificationem: quam ſi denuò herus aut dominus nobilis abſq; iuſta ratione & cauſa denegaret, & defectus non in miniſtro comperiat, cenſuram æquam agat interponatq; Magiſtratus, & re quidem comperta ac cognita, ipſe Magiſtratus teſtimonium perhibeat, præbeatq;. 2

Quilibet Magiſtratus quoque, quantum ſpectat ad miniſtros & 2

*Vide in pan-  
dectis lib.  
11. titul. 3.  
de ſeruo  
corrupto.  
& tit. ſe-  
quent. de  
fugitiuis.  
Item in ma-  
periali  
Conſtit. pa-  
cis publicæ  
cap. 24.  
& 25.*



seruos in ditione sua ( quandoquidem salaria & mercedes in paucis annis nimiū excreuerunt ) ex qualitate & conditione loci regionisq; constitutionem & ordinationem ad communem Reipublicae utilitatem & usum componant, ne suo illi arbitrato atq; libidine seruitia & ministeria deserant, simul & contumacię ipsorum & petulantiae obuietur, & licentiae obuerfetur.

*De leui ac inhonesta cohabitatione.*

*Caput 25.*



ORRO & cū multae leues atq; inhonestae personae extra matrimonium à Deo institutum cohabitant, ob id quidem ordinamus & praecipimus, ut quaelibet Maioritas, Ecclesiastica pariter & ciuilib, ad quae ea res spectare dignoscitur, aequam aduertentiam adhibeant, quò eiusmodi publica crimina et scandala debite corripiantur, ac strenue emendentur, nullouemodo ad ea conuiueatur. Cumq; coniugatae personae nonnunquam diuertant, alter coniugum alterum relinquendo, & cum alijs leuibus personis in manifesto adulterio sese copulent concurrentes, atq; cohabitent, conuiuente Superioritate & Magistratu, propter quae flagitia Deus omnipotens, cū eius diuinis mandatis aduersentur, & caeteri homines offendantur & scandalizent, utique grauissimè irascitur: Praecipimus itaq; seuerè, talia manifesta adulteria, ac aliae illicitae cohabitationes deinceps nequaquam permittantur uel concedantur, quin imò per Magistratum grauer corpore uel aere mulctentur, iuxta qualitatem & conditionem personarum, criminis & delicti perpetrati. Similiter & in illos est animaduertendum, qui personas eiusmodi conuocant aut copulant, uel in domicilia sua recipiūt, sustentant, celant, seuerè quoq; puniantur.

*De Mendicantibus, uagantibus, & ociosis.*

*Caput 26.*



OLVMVS item quemlibet Magistratum, propter mendicos & alios ociosos, seueram aduertentiam adhibeat, nec cuiquam mendicare liceat aut permittatur, cui nulla informitas aut defectus corporalis acciderit, nec indigeat. Quòd & mendicorum liberi, cū suo panem labore parare & acquirere queant, aptiq; sint, à mendicis illis parentibus auferantur, & opificijs addicantur, aut alijs seruitijs & ministerijs applicentur, adhibeanturq;, ne quotidie continuoq; mendicitationi inhareant. Similiter & Magistra-



Magistratus provideat, ut qualibet Ciuitas, Oppidum & Communitas, suos ipsa mendicos & egenos nutriat foueatq; , nec exteris & peregrinis permittatur, passim & ubiq; locorum mendicare in Imperio. Quòd si uerò insuper ualidi mendicantes inueniantur, eisdem de iure, uiaq; iuris, aliasue in terrorem & exemplum aliorum corripiantur ac puniantur: nisi quoddam oppidum aut municipium tot mendicantibus grauatum esset, ut eo loci sustentari nequirent, ex tunc quidem idem Magistratus eosdem mendicantes literali & scripto testimonio, aliò & ad aliud municipium transferendi habeat licentiam ac potestatem.

Quisq; Magistratus item, ubi hospitalia sunt, curam habere debet, <sup>2</sup> ut ea hospitalia diligenter conseruentur ac manuteneantur, Administrator aut hospitalis magister, quotannis rationem accepti & expensi reddat: singulis quoq; annis hospitalia ad minus semel à Magistratu uisitentur & inspiciantur: eorumq; fructus & reditus in nullum alium usum, aliasq; res nullas, quàm ad alimoniam, sustentationem, et indigentiam seu necessitatem pauperum, et in pios usus conferantur et usurpentur.

*De Zygeuneris, hoc est, de praestigatoribus, & planis. Caput 26.*



**D**E ijs, qui se Zygeuneros appellant, hinc inde in terris passim errantes & uagantes, mandamus atq; precipimus Electoribus, Principibus, ac Statibus, mediandibus eorum iuramentis, quibus sacro Imperio deuincti sunt, acriter & seuerè mādantes, ne de cetero tales Zygeuneros, quandoquidē uerisimiliter indicatum est, & constat, quòd sint exploratores, proditores, & traditores Christianorum regnorum & nationum, Thurcis & alijs Christianorum hostibus, sinant, ferantue per suas ditiones uagari, commearue, neque dent illis saluum conductum, uel passagia. Volumus item, atque praecipimus, dictos Zygeuneros extra Teutonicam nationem confestim & quàm citò expelli & eijci, neque in illa amplius commorari. Quòd si uerò comprehendantur, & quisquam aduersum eos ui factoue egerit, temerè is aut uolenter nihil fecisse uel iniquè patrassese uideatur.



*De Morionibus. Caput 28.*

E illis qui stultitiam simulant, eamq; præ se ferunt in Comitibus: uolumus & ordinamus, si quis talibus morionibus & eorum stultitia uti uelit, ita regat eos geratq;, ne alijs damno sint aut noceant. Nemo enim uiris aut mulieribus, masculis aut foeminis, qui in seruitio aut famulatu ipsius non sint, arma, catenas aut signa appendat uel imponat. Et si qui iam arma, annulos, signa, aut eiusmodi gerant, quæ domini ipsis seu patres familiars non tradiderunt, ea deponere debent, sub pœna amissionis & perditionis illorum: ne qua uetus mos & consuetudo errorem aliquem nouæ ordinationi inferat. Reliqui uerò moriones, qui in 2 Electorum & Principum aulis non seruiunt uel famulantur, si contra prædictam ordinationem in Imperio comperiantur, nequaquã ferantur, sed à quolibet Magistratu puniantur.

*De fistulatoribus & tabularijs, seu grammatoribus. Caput 29.*

VISQVE Principum & Magistratuū prohibeat suis fistulatoribus, buccinatoribus & ioculatoribus, & cæteris ludionibus, ut deinceps ab alijs hominibus ( nisi forsan à subditis suis, qui id perferunt) munuscula & bibalia exigant, neq; eos eius rei nomine interpellent, medijs illorum iuramentis iniungentes, idq; firmiter obseruent atq; custodiant. Cum & tabularij similiter faciant, donaria & munuscula colligendo, idem, ut prædictum est, obseruetur.

*De ambulonibus, cantoribus, & Rhythmologis.**Caput 30.*

V M & uariæ & leuiculæ plebes reperiantur, quæ cantionibus & rhythmis operam dant, per quos Ecclesiasticos & seculares status contumelijs afficiunt, in utranq; partem iuxta apti paratiq;: nimirum si fuerint cum Ecclesiasticis, cantillant de secularibus: & econtrà, si fuerint cum secularibus, canunt de sacrificiis. Quæ res ad discordiam, dissidia, & contumaciam uergit tenditq;: Itaq; seuerè precipimus, uolentes, ubicunq; deprehendantur, à Magistratu puniantur, et cum eis omni modo agat, prout suprâ de morionibus pronũciatum est. Illis tamen exceptis, qui magistrales melodias canant. Similiter et mulierculis saltatricibus inhibitum sit, ne de cætero saltent, suamq; saltatoriam artem exercent.

*De pu*



*De Pupillorum & Minorum tutoribus & curatoribus.**Caput 31.*

**Q**UONIAM in iure communi scripto grauiter dispositum cautumq; est, ut pupillis & minoribus per suos tutores & curatores summa diligentia & cura provideatur, & ipsorum utilitas queratur ac promoueatur: atque qui tamen plerumq; usuuenit et contingit, ut in talibus causis dolose ac fraudulenter per tutores & curatores eorum uerter, agaturq; in grauem pupillorum & minorum perniciem.

*Vide de postulacione suspecti actionem primam Oldendorp. classis 7. fol. 992. & 996.*

Cum ergo Magistratum deceat, ad talia respicere & aduertere, prout conuenit & æquum est, ne pupilli & minores decipiantur aut defraudentur: Idcirco uolumus omnibus ac singulis Electoribus, Principibus, prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Nobilibus, & Communitatibus, seuerè præceptum & iniunctum esse, ut talem in ipsorum principatibus, ditionibus & Magistratibus prouidentiam adhibeant, & ordinationem faciant, ut pupillis & minoribus quousuis singulisq; temporibus, usq; ad ipsorum iustam & nubilem ætatem, tutores, curatores, & prouisores (nisi in Testamentis & ultimis uoluntatibus parentum ipsorum, in agnatis & cognatis legitimaprouisio, ac dispositio facta fuisset) constituentur: aut si fortè agnati & cognati proximi sese tutelæ & curæ intromittere nollent, ex legitimis causis & rationibus, aut ad eam ipsam rem non aptineq; idonei existerent uel reputarentur.

Vt et singuli tutores & curatores siue testamentarij, siue legitimi, dati uel ordinati iudicialiter, non se tutelæ uel curæ, aut eius administrationi ingerant, nisi à Magistratu antea ipsis decreta & commissa fuerit.

Similiter uolumus, & mandamus, ut tutores & curatores post administrationem de omnibus rebus & bonis, immobilibus & mobilibus, creditis & debitis, literis & Registris, Inventaria conficiant faciantq; , ac legitimam cautionem præstent, pariter & iurent, ac Sacramento suo confirment, quòd pupillorum ac minorum suorum rebus ac bonis, personisq; eorum, fidam & honestam curam ac prouidentiam adhibere, & in propriam suam utilitatem, usum aut còmodum nihil conuertere uelint: neq; eas res etiam ac bona, sine præscientia, cognitione, & decreto Magistratus alienare, impignorare aut grauare uelint: aliaq; omnia agere, quæ ad quemlibet fidum, fidelemq; tutorem & curatorem spectent & pertineant, idq; sub hypotheca & obligatione omnium suarum rerum & bonorum.

Quoniam autem cum rebus ac bonis Ecclesiasticis, censibus & redditibus quandoq; dolose ac fraudulenter agitur per prouisores &



redituarios illorum : Eapropter uolumus potestati & Magistratu, ad quæ huiusmodi pertinent, id commissum esse, ut & ipsi curam agant, & prouisionem faciant, prouisores & redituarios Ecclesiarum iuramentis astringi, Ecclesijs benè ac fideliter præesse, singulisq; annis rationem reddant, ut suprâ dictum est.

*De Iudicibus, Aduocatis, & Procuratoribus.*

*Caput 32.*



**M** & sæpe contingit, ut inter partes litigantes coram iudicibus in litibus & iustificatione agentes, non absque magnis grauaminibus & incommodis, quandoque per Iudices, ac sæpenumerò per Aduocatos & Procuratores dolose ac fraudulenter ex proposito lites differantur : Volumus itaq; ob id omnibus Magistratibus iniunctum esse, ut huc attendant, & dent operam apud Iudices eorum, ut quouis tempore ad requisitionem & interpellationem partium expeditè eis, & absq; remotione iustitiam administrent. Aduocatos item & Procuratores acriter commonefaciant, ne lites & causas maligno proposito aut fraudulenter protelent ac remorentur, atq; ab iniurijs & contumelijs caueant, & sese abstineant, in exhibendis productis propositionibus & scriptis, sub grauibus euitandis pœnis & mulctationibus irremissibiliter pendendis & præstandis de iure, & secundum qualitatem & conditionem personarum & causarum.

*De Myropolijs & Apothecis.*

*Caput 33.*



**V**ANDOQVIDEM in Myropolijs & Apothecis seu Pharmacopolijs nonnunquam uetera & uetustate corrupta & inefficacia materialia, ac aliæ similes species, quibus in Receptis & medicinis uti solent, inueniantur, quæ ad recuperandam ualeitudinem plus noceant homini quàm prosint, sicubi illis utatur : Idcirco uolumus ac reputamus, ut Magistratus, sub quibus Apothecæ & Pharmacopolix sunt, eas per peritos artis quotannis ad minus semel uisitent atq; perspiciant, ac in ea re bonam ordinationem ac reformationem instituant, Adeoq; materialium æquum iustumq; precium statuunt, ut quisque pro sua mercede ac precio recentia & efficacia materialia ac medicinas cõparare atq; consequi possit.

*De famo*



*De famosis libellis, picturis, & facturis.**Caput 34.*

**Q**UANTUM anteà in Comitibus quoque cum Electoribus, Principibus & Statibus sacri Imperii, & cum absentium nuncijs nos cōcordauimus atque constituimus, ordinationes etiam typis excusas euulgauimus, ac publicè edidimus, ut in omnibus Typographijs, et apud omnes Bibliopolas acri diligētia prouideatur, ne porrò quicquā noui, præsertim famosorum libellorum, picturarum et similibus, publicè uel clam excogitatorum, excudatur aut uenundetur, quemadmodum eiusmodi decreta & Recessus amplius perhibent ac docēt: Atqui comperimus tamen eam constitutionem nostram ne minimū quidem obseruari, sed imò, quòd tales famosi libelli, scripturæ, picturæ, et facturæ, eò plus multoque magis excogitentur, fingantur, imprimantur, uendantur, et publicentur. Quandoquidem autem ad plantandum et conseruandum amorem Christianum et concordiam, cauendaque et uitanda dissidia, contentiones, rixas, aliaque, quæ ex talibus subsequuntur, nos debitores fatemur, et prouisores: Idcirco statuimus et ordinamus seuerè præcipientes, ut deinceps omnes Typographi et librorum impressores, ubicunque locorum in sacro Imperio commorentur et habitent, sub poena cessationis ac desertionis eorum officij, subque graui multa, uidelicet N. florenorum ordinarijs Magistratibus ipsorum, irremissibiliter soluendorum, nullos libros, paruos uel magnos, quibuscunque nominibus uocentur, typis excudendos, nisi iisdem anteà per ordinarium Magistratum cuiuslibet loci, et ad hæc ordinatos inspecti fuerint, et doctrinæ Christianæ Ecclesiæ, similiter ac decretis Comitiorum horum atque Recessibus iam anteà factis datisque non aduersentur, sed conformes existant, comperianturque; nec seditiosi, iniuriosi, tumultuosius, sublimes ne an humiles, publicas ne an priuatas personas spectent, adeoque approbentur et concedantur. Sub eadem quoque ac simili poena omnes supradicti Typographi et impressores librorum teneantur ac obligentur ad omnes libros, quos sic ex permissione Magistratus imprimant atque excudent, autorem libri, et Typographi nomen, unà cum ciuitatis et loci, ubi impressus sit, discriminatim nuncupare ac indicare.

Præterea constituimus, ordinamus ac uolumus, ut omnes ac singuli Magistratus, nobis ac sacro Imperio subditi, acriter et seuerè attendant efficiantque; ut non tantum quemadmodum supra dictum est, iussui nostro ac mandatis fideliter pareat, uerumetiam ne quid Catholicæ doctrinæ aduersum, aut quod discordiæ occasionem præbeat, inuehatur: nihil item iniuriosi, pasquillici, aut alio modo, quo-



cunq̄ nomine uocetur, huic hoc loco, habito datoq̄: Recessui seu decreto repugnans, sub quocunq̄, prætextu aut specie id fieri possit, effingatur, scribatur, edatur, pingatur, sculpatur, fundatur aut efficiatur. Quin ubi eiusmodi aut similes libelli, scripturæ, picturæ, fusiles & sculptiles seu res fictiles impressæ, aliasue extarent, aut in futurum ederentur, publicarentur, circumferretur, & uenderentur, eæ auferantur à uenditoribus, ac omnibus modis supprimantur: nec quidem uenditor tantummodo, sed & emptor, aliq̄, penes quos eiusmodi libri famosi, aut picturæ, pasquilli, aliq̄ue tales scripti, picti, aut impressi reperiantur, in carcerem conijciantur, & criminaliter uel per questionem interrogentur, unde & à quo tales libros, picturas, aut scripturas acceperint. Et si autor ipse aut alius, quisquis fuerit, à quo captius eiusmodi scripta, picturas, aut libros acceperit, sub eodem Magistratu habitaret, aut commoraretur, illicò idem quoq̄ comprehendatur & incarceretur. Si uerò sub alio Magistratu habitaret, eistatim per illum Magistratum, ubi primus uenditor aut tentor talium scripturarum deprehensus fuerit, significetur ac indicetur, & in eum tamdiu inquiretur, donec autor ipse inueniatur, qui ex tunc unà cum illis circumferentibus, uendentibus, aliasue donantibus, uia uiq̄: Iuris, & iuxta qualitatem & conditionem causæ, corripitur ac puniatur.

3 Si quis uerò Magistratus, quisquis ille erit, aut quo nomine uocetur, in exploratione & cognitione talium rerum, aut sicubi indicatū ei fuerit, deses ac negligens in animaduertendo ac puniendo fuerit, reperiaturq̄, ex tunc Cæsareus noster Fiscalis contra eum ipsum Magistratum, atq̄: infamatorem, Typographum, aut bibliopolam & uenditorem, ad iustam & debitam pœnam procedat agatq̄: quã pœnam multamq̄: iuxta qualitatem & conditionem Imperiale iudicium nostrum statuere ac moderari ex suo arbitrio poterit, eiusq̄: statuendæ ac moderandæ potestatem habeat.

4 Attamen si præteritis temporibus fortè eiusmodi libelli, picturæ, aut scripta ad quempiam peruenissent, & sic penes ipsum deliquissent, nihil periculi inde patiatur: teneatur tamen, ubi reperierit, non amplius euulgare, donare, aut uendere, neq̄ eo modo priorem iniuriam renouare, sed alienare & abdicare, aut ita custodire, & conseruare, ne alicui ad iniuriam uel ignominiam tendere possit.

*De Aurifabrís. Caput 35.*



**Q**VANDO QUIDEM & argentum non eiusdem nec similis precij aut ualoris fabricatur per auri & argenti fabros, & in eodem opificio multum doli mali fraudisq̄: usurpatur, Ordinamus, constituimus, & uolumus, his median



mediantibus, seuerè præcipientes, ut deinceps quælibet Marca, quæ ad manus opusq; aurifabri peruenit, quocunq; pacto modoq; id fiat, nõ minus quatuordecim lothos puri argenti contineat, & priusquam finiatur exeatq; labor seu opera per aurifabrum, & opificem, mediante iureiurando ad probam & inspectionem per Magistratũ constitutatur ac probetur, idq; signo sigilloq; suo, iuxta Domini aut Cuitatis, sub qua habitat, signum impresso percutiatur ac signetur. Quod si ad inspectionem, redditionem non faciat, aut idem argentum in operando quatuordecim lothos argenti non teneat, ex tunc opifex aurifaber, à Magistratu ex dolo & fraude operis mulctetur, & puniatur.

*De Opificibus & Artificibus in genere.*

*Caput 36.*



**P**OST QVAM opifices & artifices in ordinibus & gradibus suis interdum inuicem conueniunt & conspirant colludendo, ne quis minoris precij quàm alter opus operamq; suam uendat, & sic carius grauiusq; precium quoddam inducunt, ut hi, qui operas eiusmodi mercari uelint, ex illorum æstimatione & censura emanat oportet. Ob id uolumus & præcipimus seuerè Magistratibus, ne deinceps talia patiantur aut concedant, sed legitimè provideant ac caueant. Quod si porro ab opificibus admittatur, Magistratus in delinquentes iuxta qualitatem rei & causæ irremissibiliter animaduertat.

*De opificum filijs, seruis, & tyronibus.*

*Caput 37.*



**V**M etiã in quibusdam locis sit usus, mos, uel consuetudo, ut lini textores, barbitonfores, opiliones, etiam pastores, molitores, & similes opifices seu manuarij in societatibus & conuenticulis non ad alia opificia seu artificia quàm suorum parentum admittantur & recipiantur: atqui tamen iniquum putandum, eos, qui sunt honestæ conditionis & uitæ, excludi. Proinde uolumus eiusmodi usus, mores & consuetudines, ceu graues ac onerosas, abrogatas & annullatas esse: statuentes, ordinantes, ac uolentes, ne lini textores, barbitonfores, opiliones, ouiumq; pastores, molitores, telones, fistulatores, Buccinatores, Balneatores, & illi, qui de eorum parentibus orti, oriundiq; sunt, eorumq; liberi, si probè & honestè se gesserunt, deinceps ex ordine, gradibus, officijs & ministerijs



ministerijs ullo modo uel qua uis ratione eijciantur aut excludantur: Quinimò ijdem ueluti alij honesti opifices, manuarij & artifices recipiantur & admittantur. Quicquid uerò præter iam dictos, alios communes & uulgares opifices seu manuarios attinet uel conuenit, in ijs omnibus uolumus Magistratui ordinandi & constituendi, iuxta cuiusq; ditionis qualitatem & conditionem, his mediantibus, permissam & concessam esse potestatem, eiusq; conseruandi datam licentiam & facultatem.

2 Quandoquidem in sacro Romano Imperio Teutonicæ nationis, communiter in Ciuitatibus & Oppidis, in quibus hæctenus donata & indonata opificia seruata et retenta fuerunt, causa & nomine filiorum Magistrorum opificum, sociorum, seruorum, ac tyronum, pleræque contentiones, rixæ, controuersia, aduersitates, molestia & damna, non inter ipsosmet tantum, uerumetiam inter ipsorum opificiorum magistrorum, & alios, qui opera effecissent, ociosos, donaria & impensa, propter magistrorum filios & opificum socios, exorta fuerunt, & emerferunt, Idcirco uolumus, ut ijs donatis & indonatis opificijs, quocumq; in sacro Imperio, in Ciuitatibus, & in Oppidis alijs in usu sint, socij, quotannis, uel singulis mensibus ab alienis & exteris aduenientibus socijs seruitium ac ministerium petentibus, ac eiusmodi seruitia sollicitantibus, & ad alia deputatis auferantur, ac derogentur. Si qui uerò alienorum et exterorū opificum sociorum in Ciuitates et Oppida conueniant, seruitia uel heros et magistrorum requirentes, is, ijq; semper magistrorum suos, à quibus artificium didicerunt, requirant: & apud ministrum societatis & opificij sese indicent, siue hospes, siue pater is uocetur, qui illi petenti consilio & auxilio esse debet, summa fide ac diligentia, ut opificij magistrum ac herum acquirat, omni modo ac uia, quemadmodum priores alij opificum socij & serui, quouis tempore fecerunt. Veruntamen in his omnibus illa donaria & conuiuialia, aliosq; usus deinceps omissos ac abrogatos uolumus.

3 Multæ item seu poenæ prædictorum donatorum opificiorum aut non donatorum ergò, filiorum & sociorum, de cætero non præsumantur aut usurpentur, nec alter alterum iniuriatur, uel uexet, aut infamia notet. Quicumque uerò tale quid fecerit, quod tamen fieri non debet, Iniuriator id apud Magistratum eiusdem loci expediat & exequatur. Si autem in his contumax reperiatur, ab eodem Magistratu, iuxta qualitatem causæ & negotij mulctetur, atq; tam diu bonus honestusq; habeatur, donec causa ipsa, ut supra dictum est, expedita finitaq; fuerit. Qui uerò læsus & iniuriatus fuerit, nullo modo eijciatur aut expellatur, sed in opificio suo ac ministerio persistat: socij item ac ministri pariter cum eo, iuxtaq; eum munia sua



sua atq; seruitia sua obire teneantur, donec & quousq; iniuriarum actio causaq; prout æquum est, expediatur. Similiter quid quisque aduersus alterum petere agereq; prætendat, in rebus ac negocijs ijs, quæ opificium ipsum non concernant, quisque id quidem coram eo Magistratu, aut oppido, ubi reperti fuerint, aut commorantur, & pro rebus causisq; uel non concernentibus, coram Societatibus, ex honesto more, usu & consuetudine eorundem locorum, uti par æquumq; est, expediat.

Quicumque uerò opificum magistrorum filij aut socij, uel ministri 4 talia iudicia, sententias, uel transactiones, aut plebiscita recusaerint, nec obseruare uoluerint, n̄ in Imperio Teutonicæ nationis, in Ciuitatibus & oppidis deinceps ad opificium & labores, uel ad eiusmodi donata uel non donata munia exercenda non admittantur, quinimò expellantur & excludantur. Verùm enim uerò, si quis hisce grauius fuerit, ei ablatam seu denegatam nolumus, ad proximum Magistratum prouocandi & appellandi, potestatem: quæ omnis bus quidem nota esse uolumus.

Nolumus & hoc, ne pactioes faciant aut transigant serui & mi 5 nistri cum opificiorum magistris, quem quouis tempore cibum potumue præbeant: attamen ut magistri heriq; seruos & ministros suos ita pascant, nutriantq;, ne querimonia opus sit, indigeantue. In qua re Magistratus quouis tempore iustam æquamq; aduertentiam adhibeat.

Reseruatis tamen singulis Magistratibus, suis Regalijs, quæ à no 6 bis, & sacro Romano Imperio acceperunt, & obtinent. Hancq; ordinationem iuxta cuiuslibet ditionis qualitatem & conditionem arctandi, imminuendi & moderandi, sed nullo modo augendi uel ampliandi, potestatem ipsis Magistratibus concedendo uel permittendo.

Quodque omnia & singula suprâ dicta puncta & articuli huius 7 nostræ ordinationis, quæ ad prouehendam communem Reipublicæ utilitatem, consilio, scientia ac uoluntate Electorum, Principum & Statuum, suscepta, instituta & promulgata est, per singulos Status Imperij, cuiuscunque dignitatis & conditionis fuerint, sub cautione ac euitatione prædictarum pœnarum ac mulctarum, acriter ac seuerè obseruentur ac peragantur. Hæc ipsa est nostra iussio seuera atque uoluntas, in testimonium nostri sigilli appensione cõfirmata, ac corroborata. Data in nostra ac sacri Imperij Ciuitate Augusta, ul-  
tima



**POLITIAE ROM. IMP. CONSTITVTIO,**  
 tima die Mensis Iunij, post natiuitatem Christi Domini nostri Salua-  
 toris, Anno Millesimo, quingentesimo, & quadragesimo octauo,  
 Nostri uerò Imperij Anno uigesimo octauo, Regno.  
 rum autem nostrorum, Anno trices-  
 simo tertio.


**Carolus**

**Ad Mandatum Cæsareæ & Catho-  
 licæ Maiestatis proprium.**

**Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus, per Ger-  
 maniam Archicancellarius, &c. subscripsit.**

**Ioannes Obernburger  
 subscripsit.**

**IN**





# IN POLITIAN DIVI

CAROLI V. IMPERATORIS

Explicatio Doct. Iustini Gobleri.

37



**P**E PIA ET HONESTA POLITIA, id est, Republica, dicturus Imperator noster, Dominus Carolus quintus, Augustus, hac sua constitutione, multa utilia præcepta collegit ac dedit, passim in ciuitatibus ac urbibus Germanicæ nationis obseruanda & custodienda. Quocirca & hanc sanctionem suam Politicæ nomine inscripsit, & in toto Germaniæ Regno atque Imperio tenere ac ualere præcepit. Antè uerò quàm de ipsa dicamus, nimirum quid sit Politia, & unde dicta sit, eximendus est error ille Scribarum uulgarium, qui in Orthographia Grammatica nominis Politicæ peccauerunt, malè & indoctè ponentes duplicem liquidam ll. cum simplici tantùm uti debeant. Politia enim, hoc est, Respublica, à Græca dictione, *πολις*, quæ Vrbs uel Ciuitas dicitur Latinè, descendit, à quo etiam *πολιτικός*, quod est ciuile, nuncupatur, ut *ζῶον ἄνθρωπος πολιτικός*, Homo est animal ciuile, ut Cicero uocat, non belua seu bestia. Quæ enim (inquit in Mario) potest esse homini politico delectatio, quum aut homo imbecillis à ualentissima bestia laniatur? *πολιτεία* uerò, Respublica, à Latinis ex duobus integris composita, dicta est, quam quidam disiungunt, Res populi, & negocium publicum dicentes, ut Persius: Rem populi tractas, barbatum hoc crede Magistrum dicere. Celebrare, labefactare, & euertere Rempubl. Hinc Cicero suos illos sex de Republica libros, quos amissimus, inscripsit, post Platonis decem Dialogos, de Republica, uel de iusto, similiter & de legibus, uel de legumlatione: & post Aristotelis octo libros de Republica, ex quibus optima, quæ uisa sunt, suo tempori conuenientissima, in suū Scipionem delegit, & conscripsit, ut ex libris ipsius de Officijs & de Legibus patet. Breuiter autem, *πολιτεία* seu Rempublicam diffiniunt, gubernationem esse ciuilem, seu ciuitatis iuxta leges, & eam aiunt duplicem esse, uidelicet ecclesiasticam & politicam seu ciuilem: de utraq; Imperator differit hac constitutione. Ingens uerò discrimen est inter gubernationem ecclesiasticam, & politicam, quod semper nobis in conspectu esse debet, Nam confusio magnas tenebras affert. Quid autem sit gubernatio politica, facillè intelligit ac indicat humana ratio: quia Deus indidit humanæ menti leges, iuxta quas constituendæ sunt politicæ. Est igitur politica gubernatio mandatum diuinum, per certos Magistratus, custodiendæ externæ disciplinæ, & retinendæ pacis, & puniendi contumaces pœnis corporalibus, seu gladio. Magnum & mirandum Dei opus est, quod non solum nostris mentibus indidit leges, quibus regenda sunt Imperia, sed quod etiam & ipse singulari modo constituit, & transfert, sicut in Daniele dicitur: Qui temporum uicissitudini moderatur (uel qui mutat tempora, & occasiones temporis) qui deponit Reges, & creat Reges: qui confert sapientibus sapientiam, & cognoscendi facultatem habentibus notitiam. Item: Aperit profunda & abstrusa, neq; ignota quæ in tenebris geruntur, & cum eo lux habitat. Daniel. cap. 2.

Hoc dicto Danielis admonemur, diuinitus constitui Imperia, & quod mirabili consilio Deus uoluit consociare Gentes per monarchias, cum ut melius regenerentur disciplina, legibus, iudicijs, pœnis, tum, ut per eam occasionem facilius propagari & innotescere Euangelium posset, sicut in singulis Monarchijs fuisse Euangelium aliquantisper apud Gentes, iuxta mandatum Christi, Apostolis suis datum: Ite in uniuersum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ: quicumque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: quicumque uerò non crediderit, condemnabitur, &c. Et Matthæi 24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc ueniet consummatio. Et Paulus ad Colossenses 1. inquit, Euangelium suo tempore fructificasse in toto mûdo.

D



& omnibus gentibus esse prædicatum, &c. Quid est autem Ecclesiastica gubernatio? Est mandatum Dei, quod præcipit docere Euangelium, uocare ministros Euangelij, administrare Sacramenta, punire cõtumaces excõmunicatione sine ui corporali. Hęc gubernatio prudenter discernenda est à politica, & fines considerandi sunt. Hęc regit non tantum externos mores, sed docet corde inuocare Deum, & æterna bona impertit pijs, etiam cum uitam & imperia amittunt, sicut Dauid, quanquam excussus erat regno, tamen sciebat se à Deo petere debere remissionem peccatorum, & expectare auxilium in præsentibus ærumnis. Ita nunc sentiendum est, cum opprimuntur pij à Turcis, non propterea deficient à Deo, quòd politias amiserunt. Sciamus aliud esse regnum cœleste, ministerium uerbi, puniri nos agnoscamus ereptis commodis corporum, & nos uerbo Dei in his ærumnis sustentemus. Hic discamus Euangelium esse ministerium Spiritus, id est, non extèrnã politiam, sed consolationem mentis, quæ æterna bona impartit, ut Daniel, Manasses non amiserunt ministerium Spiritus, etiam cum regno expulsi erant. Hęc admonitio necessaria est propter eos, qui tantum florentes politias imaginantur populum Dei esse, sicut Turci, & de doctrina iudicant ex fortuna politiarum, &c. Cæterum Politia, seu politica ars est, quæ continet generalia quædam præcepta de ordinatione Reipublicæ uel Ciuitatis. Sicut Architectonica ars est, qua formæ ædificiorum describuntur, ita politia certam formã Reipublicæ uel Ciuitatis describit, tradit ac docet, quemadmodum in hac constitutione Imperatoris nostri uidere licet, de pietate, de honestate, seu medio critate & ordine, adeoq; etiam equitate in omnibus rebus seruãda, de rerum item diuisione, de connubijs, de Magistratibus, de Legibus, de Iudicijs, de populi officijs, de contractibus, de pœnis, &c. πολιτεία γάρ (ut Plato inquit) ἀναστροφὴ ἀνθρώπων ἐστὶ, καλὴ μὲν ἀγαθῶν, καλὴ δ' ἐπικαλῶν, hoc est, Respublica enim conuersatio est hominum, honesta quidem bonorum, inhonesta uerò malorum.

Diximus supra initio differentiam inter gubernationem Ecclesiasticam & politicam, quia magnoperè opus est discernere alterum ab altero, uidelicet Ecclesiasticam à politica, & politicam ab Euangelio. Errant enim hodie qui putant, Euangelium nihil esse aliud, nisi politicam doctrinam, iuxta quam Respublica uel Ciuitates constituendæ sint, & regendæ. Hic error non una tantum ætate mirabiliter perturbauit Respublicas, adeoq; totam Germaniam nuper ualdè concussit, uti uidimus, dum fanatici homines, Anabaptistæ, & seditiosæ sectæ quædam aliæ, abrogatis alijs legibus, conantur uel ex Mosaica doctrina, uel iuxta Euangelium Ciuitates constituere. Vidimus enim exempla plura quàm uellemus nostris temporibus, quamobrem monendi sumus, multum interesse inter leges Mosaicæ, seu inter politicam doctrinam, & Euangelicam, & quomodo approbet Euangelium politicam doctrinam. Sicut enim Architectonica uel Medicina longè lateq; ab Euangelio distat, sic politica longè lateq; distat ab Euangelio. Et quemadmodum Architectonica uel Medicina continet doctrinam, quæ ratione constat, ita politica ratione constat, nec magis ad Euangelium pertinet quàm Medicina: sed ut optabile est, ut Medicus, uel Architectonicus pius sit, ita oprandum est, ut sit pius is qui Ciuitatem, aut Rempublicam gubernat. Artes ipsæ tamē nullam habent cognationem cum Euangelio. Nam Euangelium patefacit iusticiam æternam, quam corde concipiunt per fidem: interim iubet foris uti legibus & politijs omnium gentium, apud quas uiuimus. Politica uerò est doctrina de externa actione in uita, de rerum possessione, de successione, de contractibus, & similibus rebus: hæc non sunt similia apud omnes gentes: Aliæ leges sunt apud Persas, aliæ Athenis, aliæ Romæ. Sicut autem Christianus aliàs alio uestitus utitur, seu ut alibi alijs dierum spacijs utitur, ita licet ei uti cuiuscunq; loci politia. Esdras apud Persas iudicat res ex Persicis legibus, Hierosolymis iudicat ex Iudaicis legibus, Centurio in Iudæa Iudaicis legibus utitur, Romæ Romanis. Nec magis ista ad Euangelium pertinent, quàm uestitus, quàm ipsa dierum spacia. Et hoc discrimen Euangelij & Politices nosse, ualde conducit ad retinendam tranquillitatem, & augendam reuerentiam erga Magistratus. Verè enim seditiosi iudicandi sunt isti, qui cum doceant Euangelium, irumpunt in alienã functionem, ferunt



ferunt leges de diuisione hæreditatum, de tributis, de contractibus, de pœnis maleficiorum. Sicut multis locis concionatores uetant suspendi fures, ferunt leges de decimis, damnant publicè receptos contractus, Anabaptistæ damnant iudicia, uolūt omnia esse cōmunia, etiā uxores &c. Hi errores præter quā quòd impij sunt, etiā labefaciūt tranquillitatē publicam. Quare prodest aduersus hanc impietatem benè munitum esse, & rectè tenere discrimen Euangelij & politices, ac scire, quòd Euangelium ad cordis iustitiam pertineat, & non ad ciuilem statum. Imò approbet omnes formas rerum publicarum, modò sint cōsentaneæ rationi, sicut approbat architectonicam aut medicinam, rationi cōsentaneam. Euāgelium autem est prædicatio pœnitentiæ, & promissio, quam non nouit ratio naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus affirmat, se gratis, non propter ulla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam filij sui Iesu Christi, credentibus in eum filium, certò remittere peccata, & donare eis imputationem iustitiæ, & reconciliationem, in qua filius Dei uoce Euangelij consolatur, & uiuificat corda credentium, & liberat eos à morte æterna, & facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto, sanctificante eos, & accēdente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, & donat hæreditatem uitæ æternæ credentibus, quòd propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, reconciliationem & hæreditatem uitæ æternæ. Porro lex uariè nominatur, Dei, Mosi, diuina & Moralis siue Naturalis, & Ciuilis. Dei uerò lex Moralis est sapientia æterna & immota in Deo, & norma iustitiæ in uoluntate Dei, discernens bona & mala, quæ est paterfacta rationali creaturæ in creatione, & postea sæpe repetita & sancita uoce diuina in Ecclesia, ostendens quòd sit Deus, & qualis sit: & quòd sit Iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normæ Dei, & damnans omnes, ac denunciāns horribilem destructionem omnibus, quæ non congruant ad illam normam Dei, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, iuxta dictum: *Maledictus qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in lege.* Item in Psalmo: *Non Deus uolens iniquitatem tuas.* Odisti omnes qui operantur iniquitatem, &c. Proinde Imperator noster initio sanctionis suæ politicæ huius in memoriam nobis reuocat Decalogū, decemq; præcepta Dei, ad uenerationem celebrationemq; Diuini nominis sui, dicens Deuteronom. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, &c.* Et Pythagoras, *Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεός, νόμος ὡς δὲ ἀκέντρα τίμα,* hoc est, Principiò uenerare Deos, ut lege receptum est. Et iuxta illud Phocylidis, *πρῶτα θεῶν τίμα, μετὰ πείρα δ' ἐσεῖο γονῆας.* hoc est, Principiò uenerare Deum, cole deinde parentes.

Cū enim omnium uirtutum dux sit Religio in Deum, & ut Salomon inquit, *Timor Domini initium sapientiæ,* orditur Imperator noster suam politiam decenter ab ipsa religione & timore Dei, seu Decalogo obseruando. Est autem timor affectus, qui sensu percipitur in corde, & est fuga uenientis mali, cum dolore cordis, quod ita conditum est, ut sentiat atq; intelligat Dei iudicium, & quòd Deus seruet obedientes, & perdat contumaces. Cuius iudicij nos hoc loco Imperator admonet, & hortatur ad obedientiam Deo & præceptis eius præstandam, ne in uanū aut malignè nomen eius usurpemus, considerātes nomen Dei non esse simpliciter tantum literas & syllabas has, Deus, Gott/ uel aliud uocabulum Dei, uel nomen Domini, sed per nomen Dei, uel Domini, intelligitur Deus, uel Dominus ipse. Similiter gloria Dei uel Domini, Verbum Dei, Doctrina Dei, & id genus alia, ut inquit Ioel Propheta: *Omnis qui inuocauerit nomē Dñi, saluus erit.* Et apud Mal. dicit dominus Deus: *Magnū est nomē meū, hoc est, gloria & maiestas mea &c.* Stulti uerò sapientiam & eruditionem (ut idē inquit Salo.) asperrantur, & sunt uacui timore Dei, ruūt & prolabuntur in uitia, nō erudiūt nec cohibent linguas suas, nō reuerentur Deū, nec mandata eius. Inter principes & ordines Germanici regni odiū est & discordia, ibi fastus & superbia, usura & auaritia, uelut diluuium quoddam irruerunt, & planè in locū Iuris successerunt uis, iniuria, & uiolentia: ac fit idem ferè hodie, quod de suo tempore conquestus est Ennius castissimus Poëta: *Pellitur è medio sapientia, ui geritur*



res. Spernitur Orator bonus, horridus miles amatur, &c. Regnat uigetq; petulantia, libido, immodestia, fastus & luxus in uestitu, in helluationibus, alea, pomis, cum omni genere uitiorum, & scelerum: inobedientia subditorum, familia, mercenariorum, omnium opificum, & rusticorum iniquissima in uenditionibus & constitutionibus Imperialibus, & uiginti decretis politicis possint corrigi uel emendari. Quorsum autem attinet ista queri, & alias super alias leges & traditiones condere, cum præcipua à Deo mandata, palàm ac publicè negligantur, aspernentur, contemnantur? Præsertim etiam illa scelera & flagitia, quæ hoc loco Imperator noster enumerat atq; recenset, nempe deierationes atq; blasphemias, uarios ac uetitos usurarum contractus, helluationes frequentes, nimias uestium luxurias, & similes ataxias, uitia & inordinationes, aliâq; uitia multa, quæ in hac sua politica ordinatione Cæsar taxat, reprehendit, corrigit, & emendat, cum enumeratione pœnarum, quas Deus hominibus contumacibus, & præceptorum eius contemptoribus infligit, utpotè famem, bella, pestem, aliâsq; multiplices pœnas, quas ipse propter delicta & peccata hominum in terris grassari permittit, &c. Additur enim præsertim secundo præcepto uiolato grauisissima comminatio, nimirum hæc: Non habebit Dominus in fontem eum, qui assumpserit nomen Domini in uanum. Hæc etenim appendix manifestè significat, quòd Deus uindictæ seuerissimè uiolationem huius secundi præcepti. Cæsar & Magistratus ciuilis solet quidem mandata sua, quandoq; etiam magna seueritate, populo & ciuibus proponere, sed rarissimè tuetur ipsa eadem seueritate & constantia, qua proposuit. Deo autem ut in proponendis seu promulgandis mandatis suis nihil est seuerius, ita in tuendis ipsis nihil est constantius. Sciamus igitur iram & minas Dei haudquaquam esse uanas aut inanes. Solet enim Deus uiolationem suorum præceptorum punire, non solum externa & corporali maledictione, uerùm etiam æterna pœna, & igne perpetuo & inextinguibili.

Cùm autem Imperator & Magistratus est custos legis, & utriusq; tabulæ, censent maximopere enormia crimina pœnis coherceri, ut sunt cædes, homicidia, blasphemias, adulteria, scortationes, helluationes, & similia flagitia, &c. Diximus supra politian artem esse continentè generalia quædam præcepta de ordinatione ciuitatis, cuius formam pulchrè describit Aristoteles octo libris *πολιτικῶν*, & definit Politian, Magistratum, seu Principatum, & rerum consuetudinem esse, secundum quam uiuere unumquenque & conuersari decet. Politia autem est triplex, quia aut unus gubernat Rempublicam, aut plures, aut omnes. Si unus, & ille bonus, monarchia, seu regnum censetur. Si malus, tyrannis: Si uerò plures regnant & boni, aristocratia est: Si mali, olocratia: Si deniq; omnes imperant, & benè, democratia, hoc est, popularis principatus dicitur: sin male, seditio. Sit autem Magistratus oportet, ut disertè Pomponius ait, quia parum est ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura reddere possint: quod sanè officium est Magistratus, ne populus ciuitatis sine certo ordine, sine certa lege, sine iure certo uiuat aut gubernetur. Quare Magistratus politicus est persona à Deo ordinata, mediata uel immediata, ut sit uox & executor legis diuinæ in externa disciplina, & aliarum honestarum legum, sit custos pacis, ac reprimat & puniat contumaces ui corporali, bellis & supplicijs, aut nece corporum. Ad hanc executionem opus est præsidijs & sumptibus. Nam Respublica sine tributis necessarijs sumptus sustinere non potest, ideò Imperia oportet instructa esse satellitijs, ut eleganter Demosthenes ait, coercionem & pœnas, artus ac neruos ciuitatis appellans. Cùm enim fontes ad pœnam rapiuntur, stabiliuntur leges, & munimenta sunt, ac carcer neruorum Reipublicæ, & doctrinæ uirtutum.

Præclare enim iuxta ac grauiter dicit, *ὄνδρὲς εἰς ὄφελος πόλεως, ἢ τις μὴ νεύρα ἐπὶ τοῦ ἀδικουμένου ἔχη.* Hoc est, ut supra diximus, Nihil ualere ciuitatem, quæ neruos non habet aduersus facinorosos. Quare ut crimina, & fontes accusentur, & puniantur, constituti sunt Magistratus, & Iudicia publica.

Hinc



Hinc diffinit Diuus Paulus, Magistratum esse ministrum Dei, nobis ad bonum, uindicem ad defendendos rectè facientes, & puniendos delinquentes gladio, id est, pœnis corporalibus. Hæc definitio est integra, & melior etiam quàm Aristotelica, quæ tantùm dicit, Magistratum esse custodem legis, Paulus enim addit efficientem causam, scilicet quod Magistratus sit institutus à Deo. Et in causa finali addit illustrem particulam, tibi (inquiens) in bonum, ubi discernit Magistratum à latrocinio. Nam latro non fouet honestam societatem, & Tyranni sunt latronum similes, Sed Magistratus politicus defendit iustos, & punit contumaciter ruentes in scelera, & fouet communem societatem, sicut paterfamilias. Ideo pulchrè dictum est à Duce Persico in Xenophonte, Nihil differt bonus princeps à patre bono. Sic uocat Homerus bonum principem *Ποίμενα λαών*, id est, pastorem populi. Et Cicero, principatum autem (inquit) id dico, quod Græci *ηγεμονικόν* uocant, quo nihil in quoq; genere nec potest uel debet esse præstantius. Itaque necesse est illud etiam, in quo sit totius naturæ principatus, esse omnium optimū, omniumq; rerum potestate dominatūq; dignissimum. Hæc libro secūdo de natura Deorum. Vult enim Deus ut & in Regno suo, hoc est, in Ecclesia, & in politia, *εὐταξία*, certus, uerus, & legitimus ordo seruetur ac custodiatur. Quanquam autem magnum discrimen est inter doctrinam politicam, & Euangelium, tamen sumuntur ex politicis præceptis figuræ & similitudines, quæ sunt notæ humanis iudicijs. Discernamus igitur gubernatores iuxta politicam doctrinam: aut enim boni sunt principes, ut Augustus: aut Tyranni, ut Nero: aut ignaui, ut Honorius, id est, qui, etiam si tranquillis temporibus sunt mediocres, tamen referunt gubernationem tantùm ad suam utilitatem, & seruiunt uentri, nec suscipiunt labores aut pericula ad defensionem suorum. Bonos principes nominat Homerus *ποίμενα λαών*: Christus appellat pastores: Malos, nominat Tyrannos, prædones, & fures seu grassatores. Ignauos uocat Mercenarios. Ioan. 10. cap. Pulcherrima est, ut dixi, pastorum, regum, & Magistratus descriptio uel allegoria apud Homerum in notatione *ποίμενα λαών*, quam eleganter in dicto loco explicat Christus saluator noster in bono pastore. Ornat etiam diuinus ille Poëta omnes bonos reges, pastores & Magistratus pulcherrimo epitheto, quos *διοτρεφεαίς*, hoc est, à Ioue nutritos, nuncupat, Minoem Iudicem, qui iustitiæ ergo Græcis tunc in maxima fuit existimatione, collocutorem Iouis & discipulum appellat: ut potè primum illorum omnium & maximum regem, & qui solus regiam artem calleret, alijsq; traderet: & idcirco opus esset, bonos reges in ipsum animo conuersos imperiū dirigere, hominesq; Deo, quoad eius fieri posset, assimilare. Similiter quoque Iouis ingenium & regnum, qualia nam existant, cum alibi multis in locis interpretatur, tum in primis facultatem & mentem ipsius paucissimis uerbis completens, ferè semper de ipso sic loquitur: Hominum pater atq; Deorum, nimirum insinuans regiam administrationem paternam esse decere: & cum beneuolentia amicitiaq; subditis prospicere: quanquam haud quaquam aliter alijs præesse ac imperare cuiquam conueniat, nisi amanti subditos, eisq; prospicientem, cum ne Iupiter quidem pater hominum appellari dedignetur.

*Explicatio Doctoris Iustini Gobleri, in primum titulum & Caput, de Blasphemijs.*



N hoc capite uetat ac prohibet Imperator ab usum nominis diuini, maximè uerò blasphemiam, quæ est hisce temporibus (prò pudor) scelus uulgò usitatissimum, etiam inter Christianos homines, contra secundum præceptum Decalogi, Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum: non enim habebit Dominus infontem eum, qui assumpserit nomen Domini in uanum, Deut. 6. cap. Sunt autem hodie, & fiunt quotidie horribiles execrationes & blasphemix aduersus Deum, eiusq; filij saluatoris nostri passio- nem, & uulnera, cum maxima contumelia nominis eius, & in graue dedecus Chri-

*Per Deos, per fidem, per homines, per fortunas, Latinis modus est deprecandi elegantiss.*



stianæ religionis. Dicunt autem quidam secundum Ambrosium, blasphemiam esse, cum uel Deo attribuitur, quod ei non conuenit: uel cum ab eo remouetur, quod ei conuenit: addunt & tertiam particulam, uidelicet, cum attribuitur creaturæ, quod appropriatur Deo. Et in c. si quis per capillum. 22. quæst. 1. & in c. statuimus, & ibi Doct. extrà de maled. Blasphemia uerò Græcis dicitur, iuxta Budæum, execratio, maledictio, uituperatio, conuitium, & quasi nocens dictū, & sacrilega infamatio, uel obtretractio nefaria, à uerbo βλασφημῆω, quod est blasphemare, maledicere superiori, honorisq; & dignitati alterius derogare. Execrari, uituperare, & conuitijs incessere: Sic ὀμνύειν κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ βλασφημεῖν, id est, per Deum adiurare, & execrationes in eum ingerere, Germanicè, Gott an sein Ehre reden / inen schmechen vnd lästern.

Hanc blasphemiam & maledicentiam de Deo, de filio Dei, de Spiritu sancto, de uerbo & doctrina Dei, ex secundo præcepto Decalogi, Imperator noster seuerè hic prohibet, ac puniri mandat. Quales solent esse sermones prophanorum hominum & epicureorum, qui non uerentur palàm dicere: Quid ad me Deus in Cælo? quid ad me doctrina & scriptura Dei? Quis scit, num ea uera sint, quæ scriptura, quam isti uocant sacram, de Deo, & alijs cælestibus rebus tradit? Alij dicūt, quid? cur adhiberem fidem Prophetis & Apostolis, cum & ipsi fuerint homines, qui & fallere & falli possunt? Hæ & similes uoces sunt blasphemæ, & in nomen seu gloriam Dei contumeliosæ, atq; hic ab Imperatore nostro, ex secundo præcepto prohibita. Sic apud Daniele Prophetam Babylonici Tyranni blasphemia uox fuit non tantùm impia hæc: Quis Deus potest uos liberare? inquitens Rex ad tres iuuenes: si uos Deum meum non colatis, neq; simulachrum aureum, quod erexi, adoretis, eadem hora proijciemini in ardentem fornacem ignis. Et quis est ille Deus, qui uos eripiat è manu mea? Respondentes iuuenes, dixerūt Regi: De hac re non magnoperè solliciti sumus, an Deus noster, quem colimus, potis sit nos de ardente fornace ignis eripere, & an sit liberaturus de manu tua, an non? Hoc autem notum sit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus, neq; adorabimus aureum simulachrum quod erexisti, &c. Blasphemia igitur refutanda est, & impij cultus reprehendendi sunt, quia sunt peccata contra primum & secundum præceptum Decalogi, & tristitia delicta contra cōscientiam, nempe, Non habebis Deos alienos. Item, Deum coles, & illi soli seruias.

Quemadmodum uerò Nebucadnezar Rex Babylonicus, sic & Balthasar, item Rapsaces, & Sennaherib. quarto Regum 18. & 19. cap. manifesto contemptu insultabant Deo. Et Iudæi blasphemii Christum deridebant, dicentes: Si filius Dei est, descendat de cruce, &c. Has blasphemias graues sequuntur pœnæ, iuxta secundum præceptum Decalogi: Non habebit Deus in fontem eum, &c. Et tandem Rex Nebucadnezar ad agnitionem Dei conuersus, uerum Deum confitetur, & prohibet blasphemias. Ex quo discamus ad officium principum pertinere, ut impiam doctrinam, & impios cultus aboleant, & curent piam doctrinam, & pios cultus proponi, quia Magistratus est custos totius legis, quod ad disciplinam attinet. Sicut enim prohibet homicidia & latrocinia, etiam si non mutet corda: ita prohibere debet quoq; externam idolatriam, blasphemias, & impios cultus. Atqui blasphemia crimen est nulli unquam piorum hominum dissimulandum aut tacendum, quin potius quàm citissimè prodendum, iuxta textum in c. nonnulli. ubi Doct. not. extrà de Iudæis. Adeò quòd blasphemantem non deferens, ipse tanquam maleficus blasphemanti consentiens, puniendus esset, text. in c. si quis per capillum. 22. quæst. 1. circa medium. Ibi, si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium, quin diuina condemnatione coherceatur. Nec blasphemantem excuset aliquis iracundiæ aut ebrietatis prætextus, &c. De his uide Praxin & Enchiridion rerum criminalium clarissimi uiri Iodoci Damhouderij Brugensis, folio 161. & deinceps uideatur & practica Ioannis Bernardi Diaz, caput 103. de blasphemis, & consilium 48. domini Nicolai Iacobi de Montelbaro. Laudatissimus uerò & sacratissimus Imperator Iustinianus in sua constitutione Nouella septuagesima septima, πρὸς τοῦ τοῦ ἀσελγάνοντος κατὰ τῆς φύσεως, καὶ τοῦ ὀμνύοντος κατὰ τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ βλασφημοῦντος Τιμωρεῖσθαι



μαρτυροῦνται, ut qui contra naturam luxuriantur, & per Deum adiurant, item blasphemias in Deum ingerunt, afficiantur supplicio, inter cætera quoque ita sancit ac statuit:

Επειδὴ δὲ τινες πρὸς τοῖς ἱερημένοις καὶ βλάσφημα ῥήματα, καὶ ὄρκους πρὸς θεοῦ ὀμνύουσι τὸν θεοῦ παρεργίζοντες, καὶ τούτοις ὁμοίως παρεργνόμεθα ἀποσχέσθαι τῶν τοιούτων βλασφημιῶν ῥημάτων. καὶ τοῦ ὀμνύου κατὰ τρυχόσε καὶ κεφαλῆς, καὶ τῶν τούτοις περιπλησίων ῥημάτων. Εἰ γὰρ κατὰ ἀνθρώπων γινόμεναι βλασφημίαι ἀνεκδίκευτοι ὄν καταλιμπάνονται, πολλὰ μᾶλλον ὁ εἰς αὐτοῖς θεῶν βλασφημιῶν, ἀξιοῦσι τιμωρίας ὑποῦναι. Ὅσα τοῦτο οὐκ πάντα τοὺς τοιούτους προτρέπομεν ἐκ τῶν ἱερημένων πλημμελημάτων ἀπέχεσθαι, καὶ τὸν τοῦ θεοῦ φόβον κατὰ νῦν λαμβάνειν, ἃ ἀκολουθεῖν τοῖς καλῶς βιούσι. Ὅσα γὰρ τὰ τοιαῦτα πλημμελήματα καὶ λιμοὶ καὶ σεισμοί, καὶ λοιμοὶ γίνονται, καὶ ὅσα τοῦτο παρανομήντων τοιούτοις, ἀποσχέσθαι τῶν ἱερημένων ἀποπήματων, ὡς μὴ τὰς αὐτῶν ἀπολέσσαι ψυχὰς. Εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν τοιαύτην ἡμῶν νοθεσίαν ἐν βεβαιότητι τινος τοῖς αὐτοῖς ἐπιμένοντες πλημμελήμασι, πρόσθερον μὲν ἀναξίους εἰσαυτοῦς ποιοῦσι τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, ἔπειτα δὲ καὶ τὰς ἐκ τῶν νόμων ἐπισησάνται τιμωρίας. Hoc est, ex interpretatione Haloandri: Insuper quia ultra prædictas quidam execrabilia etiam uerba & iuramenta de Deo proferunt, Deum prouocantes ad iracundiam, consiliis militibus & hos admonemus, ut tam execrabilibus uerbis, & item per capillum, & caput adiurationibus, & id genus alijs uerbis abstineant. Nam si conuitia hominibus ingesta saltem inulta non relinquuntur, multò magis qui diuinum nomen conuicijs incessit, dignus est, qui supplicium sustineat. Propterea igitur omnes huiusmodi cohortamur, ut præfatis delictis abstineant, & Dei timorem in animum sumant, & eos qui honestè uitam transigunt, imitentur. Propter huiusmodi enim delicta & fames & terræ motus, & pestilentie oboriuntur. Atque hoc genus hominum propterea, ut memoratis illicitis actionibus abstineant, admonemus, ne suas ipsorum animas conijciant in interitum. Nam si post hanc nostram admonitionem ipsædem inhærere delictis aliqui deprehendantur, principio quidem indignos se præbebunt Dei erga homines amore, deinde legitimas etiam sustinebunt pœnas, &c.

Vt autem Magistratus eorumque Iudices eò certius norint) Formulam hinc quasi blasphemiarum & execrationum puniendarum Imperator attexit ex supra posita descriptione, cum Deo attribuitur, uel de Deo aliquid dicitur, quod Deo non conuenit: uel Deo adimitur, quod ipsi proprium est, aliquaue uerba in eum, uel in eius sanctos, & maximè beatam uirginem Mariam matrem Christi redemptoris nostri publicè & contumeliosè proferuntur &c. Sic grandis Contentio  
Christi  
ga blasphemias  
mos Iuda  
deos, Io  
annis 8.

Facta autem eiusmodi maledictione) Docet, quomodo & per quos probeatur blasphemia, nempe per uerba ipsa contumeliosa, & circumstantias referentes testes. Commendans Magistratui sedulitatem & diligentiam attendendæ in blasphemos, & Deum adiuratores, ut prolixè infrà sequitur. Est enim Magistratus custos legum & utriusque tabulæ. Quare apud Diuum Clementem extat iustitiæ definitio ex uniuersali & particulari composita, hoc est, erga Deum & homines obseruanda, δικαιοσύνη (inquit) ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος, Primò quidem, ut sit æqualitas ordinata erga Deum, deinde erga homines, officiosa & obseruanda, ut diuina lex custodiatur, & in transgressores animaduertatur, præsertim in blasphemos, & diuini nominis criminatores, ac uanè usurpatores. Proinde diximus Magistratum politicum esse personam à Deo ordinatam, ad conseruationem legis in externa disciplina, quin & executorem legum esse, in punienda earum uiolatione, ui corporali,



iuxta quod præclare dictū est ab Aeschine, *ὄνδρεῖς ἐσι γ' ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νενρα ἐπὶ τοὺς ἀδικωτάτους ἐχῆν.* hoc est, Nihil ualere Ciuitatem, quæ neruos non habet aduersus facinorosos, hoc est, quæ malos homines non punit. Ac dolendum est profecto, eam prauam atq; peruersam consuetudinem, qua sub Dei patris, filijq; eius nomine maledicatur, adeò inoleuisse, quòd & nobiles iuxta & ignobiles, senes pariter & iuuenes, mulieres item et uiri, id quod experientia hodie docet, huiusmodi maledictis & blasphemijs sint assueti. Quocirca Imperator noster in hac sua politia graues in maledicos & blasphemos, prout uidemus, pœnas edicit, ac iubet Magistratus in delinquentes animaduertere, ac in Ciuitatibus petulantium popularium linguas, plagis, uerberibus & multis coercere. Diuus etiam Imperator Iustinianus in tales blasphemos pœnam mortis statuit, eamq; iubet inferre, quemadmodum uidere est in supra dicta Authentica, cuius titulus est, *Vt non luxurientur contra naturam.* Quanquã autem quidam dicunt, eam constitutionem Imperatoriam non seruari de consuetudine, nisi magna & enormis esset blasphemia, quæ ex deliberato, maligno & doloso proposito, & ab ore execrabili, ad perniciosum exemplum Dei & hominum proferatur, tamen consuetudine praua delinquere & peccare, etiam delictum & peccatum est, & ita fit, ut quod ille apud Comicū ait, quòd deteriores omnes fiamus & simus licentia. Licet autem Baldus dicat in l. ut uim, penultima columna. ff. de iust. & iure, cum similibus allegatis, causas criminales criminaliter ad pœnam corporalem uel similem, sine dolo concurrente non puniri, tamen eam moderationem ex grauitate delicti & circumstantijs Magistratui decernendam cõmittit. De iure etiam Canonico pecuniaria pœna statuitur soluenda domino temporaneo contra blasphemos. c. 2. extra de maled. & uidetur uoluisse Antonius Butrigensis in d. c. 2. huiusmodi maledicta, si ex temeritate & ebrietate, & sine deliberatione proferrentur, excusari posse. allegat. 2. quæst. 3. §. notandum. & l. 1. C. si quis imperat. maledix. In his autem & alijs delictis omnibus inspiciendum est, non solum quod uulgò consuevit fieri, sed etiam id quod de iure æquum est fieri, ut dicit glos. in l. quid ergò §. pœna grauior, & ibi Bart. 3. col. uers. quæro in criminalibus. ff. de his qui not. infam. Quæ nemo quidem ita debet accipere uel interpretari, ut maledicta uel blasphemia in Deum eiusq; Sanctos quis uituperet, cum omnibus modis sint culpanda ac punienda, adeoq; etiam canis & angui peius odio habenda, ut Flacci uerbis utar. Porro extat nepharium & atrox exemplum impiæ crudelitatis & blasphemia cuiusdam Schelcropij uiolatoris imaginis sanctæ Crucis, apud Moguntia, quod ibi contigit extra muros in agro, secus uiam, Anno salutis nostræ Millefimo tricentesimo octuagesimo tertio, descriptū carmine per Theodoricū Gresmundū Moguntinum Doctorem Iureconsultum. Illa autem blasphemia, qua inuidi & blasphemii, ofores & persecutores Iudæi, Christū seruatore nostrum afficiūt, dicentes, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, Luca undecimo, Item, si filius Dei es, descende de cruce, &c. multò maxima blasphemia est, aduersus quam etiam ira Dei maior & grauior est, quàm quisquam hominum cogitare potest. Sunt enim Christus & Diabolus hostes per omnia, ut ibi in Luca pulchra similitudine, opera Diaboli destruente: Item exemplo filiorum Iudæorum exorcistarum: deinde bellica allegoria de forte per fortiolem uictò: Posthæc duabus pulchris rationibus docet: qui non est mecum, contra me est, qui nō colligit mecum, dispergit: hoc est, hostes sumus ego & Diabolus. Quanta igitur Iudæorum blasphemia est in Christum? calumniantium diuina eius opera, & miracula, contra testimonium conscientia? diabolo illos impellente, odio filij Dei, & ferente uaria scandala opinionum, doctrina & uita: & ad stabiliendos errores & falsas persuasiones, superstitiones, & idolomaniam. In hoc autē filius Dei apparuit, ut destrueret opera diaboli. 1. Ioan. 3. Eum autem blasphemare, qui nos à blasphemia, execratione, & tyrannide diaboli, ab æterna morte & pœna, perpetuaq; dænatione, sua passione & morte redemit, immane scelus & flagitium est, quod scelus tamen, proh dolor, & crimen blasphemia, hisce nostris temporibus uulgare, frequens & quotidiano in usu est. Quapropter etiam haud dubiè tot calamitates & pœnae omnis generis nos miseros mortales obruunt, cum hac parte



Iudæis ipsis deteriores existiment Christiani, sui Saluatoris & Redemptoris nomen, sanguinem, passionem, crucem, mortem, & Sacramenta blasphemantes, deierantes, & execrantes. O scelus nefarium & detestabile, omnibusq; modis abominandum.

Ergo blasphemiar, scelus & crimen, quò nostris temporibus crebrius usurpatur, ut dictum est, eò seuerius puniendum est: circumstantijs tamen, & conditionibus personarum & rerum, ut Imperator noster admonet, attentis, ac omnibus modis ponderatis. Cumq; hoc scelus & crimen blasphemiar, plus quàm alia crimina, ipsum Deum creatorem omnium nostrum, cuius Maiestatem diuinam, honorem, & reuerentiam tangit, offendat, ac ad illud perpetrandum (ut putatur) nullus carnalis appetitus alliciat, nec auaritiar sitis, uel lucri cupido aliqua commoueat, nec cœli, astrorumue influentia ulla inuitet uel instiget, malitia potius innata homini seu petulantia, seu leuitas cœsenda est, uel si ex ebrietate cōringat, cur etiam mitiori pœna plectatur: quin potius grauiori ac duplici afficiendus atq; mulctandus esset: primùm, quia ebrius: deinde quòd blasphemus, & in Deum Optimum Maximum, eiusq; filium unigenitum maledicus sit. Sæuiunt publicæ leges, hominumq; constitutiones & Magistratus in eos, qui falsam cudunt monetam, quiq; ueritas & prohibitas merces important uel aduehunt. Sequitur in fures & latrunculos, reſte, fune, rota, gladio, igne, cæde, forpice, aures, nares, manus, pedes, quandoq; ob leuiora crimina abſcinduntur, mutilantur, ac fustibus flagitiosi cœduntur homines: sola blasphemantium & maledicentium lingua in Deum, eiusq; filium redemptorem & saluatorem nostrum, peccat impune: quos blasphemos & maledicos Iudæis ipsis deteriores uocat Hostiensis in summa sua, de excess. prælato & Clericus. quia frustatim discidunt maledictis membra Christi, deierantes uitam, mortem, sanguinem, passionem, crucem, uulnera, & Sacramenta eius, qui nos sua passione, cruce, morte, & proprio sanguine redemit, nostraq; peccata abluit. Quantus uerò abusus est nominis Dei & uulnerum filij eius hodie apud eos etiam, qui uolunt appellari Christiani, deierantes nomen Dei, uirtutem, omnipotentiam eius, & filij baptisma, corpus, sanguinem, passionem, crucem, mortem, uulnera, membra, Sacramenta, Elementa, & alias id genus execrationes, deierationes, maledicentias, & imprecationes uirulentas innumerabiles, Haud equidem cogitantes aut perpendentes, quòd hic abusus nominis Dei, & uulnerum filij eius, seruatoris nostri, frequentior atq; uulgarior est inter homines, quòd eò etiam abominabilior & detestabilior sit coram Deo, quia in tali abusu nominis Dei, quòd est sanctum, irreuerenter usurpatur, nec in maledicentia & execratione Deus inuocatur, ut noceat ijs, quos debemus amare, iuuare, & benè eis precari. Deus autem non uult inuocari ut noceat, sed ut amet, ut defendat, ut tueatur. Ac filius Dei suscepit crucem, passionem & uulnera sua, nò ut perdat, sed ut seruet ac saluet homines. Quapropter tales execrationes sunt detestandæ & horribiles blasphemiar aduersus Deum, ac insignes maximæq; contumeliar nominis & filij eius. Qui in lege ueteri blasphemabat nomen Domini, lapidibus obruebatur & opprimebatur ab uniuerso populo, quæ pœna quidem ab ipso omnipotente Deo imposta erat illo tempore, quo nondum Deus talia ac tâta largiebatur & cōcedebat hominibus dona, misso filio suo unigenito. Nunc autem quando Deus homo factus est, ut hominibus amissum redderet honorem & salutem, uitam, corpus & sanguinem præstitit, blasphemijs passim ab iisdem hominibus inhonoratur & dedecoratur: nec qui blasphemat, pœnam, sed qui reprehendit, periculum & iurgia nonnunquam subit, & quòd frequentius fit, deteriusq; est, audientes, qui ad emendationem seu ad uindictam uel correctionem saltem moueri deberent, prouocantur ad risum. Imperator uerò Iustinianus, ultimo supplicio blasphemos damnari censuit, patres eos nefandi criminis reis iudicando, & merito quidem, quid enim magis sceleratum atque nefarium, quid naturæ ipsi plus aduersum, quàm ut creatura in suum inuehatur & malignetur seu debacchetur Creatorem? Quid à brutis animalibus ipsis alienius, quorum nullum, quantumuis innata feritate uigeat, suum offendit benefactorem: quin potius agnoscit, nec in offendendo solum



solùm se gratum ostendere optat, nisi etiam ubi possit defendat occasione data et oportunitate concessa, ac ita in membris propè omnibus sui corporis se debitorem fateatur. Cumq; animali lingua id fieri natura non dederit, tamen canes plerunq; domestici benefactoris sui pedes lambendo beneficium acceptum agnoscunt: & homines creatori et saluatori suo non modò sunt ingrati, uerùm etiam iniuri, calumnijs & blasphemis: quin quoq; Christiani in suum redemptorem Christum, utiq; eius uulnera, passionem, crucem, mortem, corpus, sanguinem & Sacramenta prauè usurpantes, ad maiorem ipsorum in die iudicij confusionem, damnationem, & perpetuam gehennæ inferniq; pœnam. Herus quisque uel paterfamiliàs, uel etiam Magistratus insurgit & indignatur, ac iure quidem, si principem suum terrenum uel temporaneum, si dominum, amicũ, familiarẽ, si deniq; famulum aut seruum opprobrio uel iniuria affici audit: at si creatorem ipsum ac redemptorem nostrum Deum, eiusq; filium, & præsentis uitæ huius, & æternæ largitorem & autorem, ac futurum nostrum omnium Iudicem blasphemare audimus, obmutescimus, filemus ac tacemus. Vbi autem pietas in Deum? ubi fides, & religio Christiana? Quid prodest Christiani nominis iactantia, quæ saltem ad exterarum gentium & infidelium probrosum seruit contemptum, contra illud salutare præceptũ: Ne cuiquam simus offendiculo, ne minimo quidem: execrabilibus uociferationibus, & horribilibus blasphemijs, ut hodie uidere atque audire est apud eos maximè, qui nobiles & militia præstantes phiberi uolũt, parui æstimantes illud, quod Dominus apud Matthæum cap. 18. minatur: Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis. Neesse est enim, ut ueniant offendicula, ueruntamen uæ homini, per quem offendiculum uenit &c. Factum porrò esse uetustè apud Prophetas negari non potest, quòd per ipsos execrati fuerint impij: sed quod Prophetæ faciunt & fecerunt, mandato Spiritus sancti fecerunt, & fuerunt exempla personalia, quæ nobis absq; certa Dei uocatione sequi uel imitari non licet. Nostri autem officij est, si uolumus esse pijs Christiani, ut maneamus in obedientia diuini generalis præcepti, quod est, ut non usurpemus nomen Dei, eiusq; filij saluatoris nostri ad maledicentiam, uel blasphemiam nominis eius, sed ut laudemus eum, benedicamus, ueneremur, ac benè precemur etiam inimicis nostris. Vbi igitur fides, ubi pietas, ubi religio nostra Christiana est? Quid tandem nuda illa & uana Christiani nominis superbia & iactantia prodest, cui res factaq; ipsa non respondent? Dedecus profectò ac infamiæ nota, & opprobrium potius censendum est execrationes & blasphemias in Deum eiusq; filium saluatorem nostrum patienter audire, ferre, & non reprehendere, ac punire: nec legum in hoc, nec Cæsareæ Maiestatis mandata exequi? per superioritatem & Magistratum, cui ista commissa sunt? quin ad hæc omnia stertere, & in utramuis aurem dormire, uel saltem cõnuere? Vsq; quo Domine (inquit Psalmista) improbrabit inimicus, irritabit aduersarius nomen tuum? ac cum eo deprecari, ut exurgat Deus, & iudicet causam suam, & memor sit improperiorum suorum, eorum quæ à blasphemis & maledicis fiunt tota die, cessantibus principibus & Magistratu. Quis autem non incendatur iusta indignatione, rectæ pietatis zelo, & cupiditate uindictæ aduersus illas malas execrationes, praua maledicta, & horribiles blasphemias in Deum creatorem, eiusq; filium saluatorem nostrum, & eius passionem, uulnera, mortem, Sacramentaq; in quæ tam leuiter, crebrò ac petulanter uulgus, nobiles, milites, plebei, gregarij pariter & calones ex cupiditate nocendi erumpunt? Et quis non moueretur indignatione, atq; doleret, potentes & Magistratus ista flagitia & scelera corripiendi suam non exercere autoritatem & potentiam in tales maledicos & criminosos, in quos pœnæ publicæ constitutæ sunt, quæ (ut præclare inquit Aeschines) Ciuitatum & Rerum publicarum nerui sunt. Quondam si quis per capillum Dei, uel caput iurasset, uel alio modo contra Deum blasphemias usus fuisset, Laicus grauiter mulctabatur: Clericus uerò, & qui in aliquo ordine ecclesiastico erat, deponeretur, iuxta Canonem. 22. quæst. 1. Iam si quis inter nobiles, clericos, seu Laicos, milites prophanos, plebeios, gregarios uel calones, sex-



centra plauftra, atq; etiam plura criminationum, execrationum & blasphemiarum  
 cōtra Deū, eiusq; filium saluatorem nostrum, contraq; eius sacratissimam passio-  
 nem, mortem, & Sacramenta effutiat ac euomat, impunè abit, ac ceu rem bellè ac  
 fortiter gefississet, laudatur, uel etiam defenditur. O seculum, ô mores, ô infelices  
 & ignaui Magistratus & Iudices, quibus defunt nerui illi, diuini nominis, & ho-  
 noris tuendi, & in fontes legitime animaduertendi, quemadmodum hic noster  
 Imperator Diuus Carolus Quintus in sua τῆς πολιτείας ordinatione constituit, et  
 iam longè antea quoq; Diuus Imperator Iustinianus in sua septuagesima septima  
 constitutione inter alia edixit, in hunc modum: *Ἐπεὶ δὲ τινες πρὸς τοῖς εἰρημίνοις καὶ  
 βλάσφημα ῥήματα, καὶ ὄρκους πρὸς θεοῦ ὀμνύουσι τὸν θεὸν παρεργίζοντες, καὶ τοῦτοῖς ὁμοί-  
 ως παρεργνόμεθα ἀποσχέδαι τῶν τοιούτων βλασφημιῶν ῥημάτων, καὶ τοῦ ὀμνύειν κατὰ  
 τρυχασεῖν ἢ κεφαλῆς, ἢ τῶν τούτοις παραπλησιῶν ῥημάτων. Εἰ γὰρ κατὰ ἀνθρώπων γι-  
 νόμενα βλασφημίας ἀνεκδέχῃσι οὐ καταλιμπάνονται, πολλῶ μᾶλλον ὁ εἰς αὐτὸ τὸ θεῖον βλασ-  
 φημιῶν, ἀξίος ἐστὶ τιμωρίας ὑποσῆναι. Ἐὰν τοῦτο οὐρπάντας τοὺς τοιούτους προτρέπομεν ἐκ-  
 τῶν εἰρημίνων πλημμελιῶν ἀπέχεσθαι, ἢ τὸν τοῦ θεοῦ φόβον κατὰ νοῦν λαμβάνειν. Ἐὰν  
 λοιδῶν τοῖς καλῶς θιούσι. Ἐὰν γὰρ πρὸς ταῦτα πλημμελήματα ἢ λιμοὶ ἢ σεισμοὶ, ἢ λοι-  
 μοὶ γίνονται, καὶ Ἐὰν τοῦτο παρανομήν τοῖς τοιούτοις, ἀποσχέδαι τῶν εἰρημίνων ἀποπνε-  
 μιάτων, ὡς ἐμὲ τὰς αὐτῶν ἀπολέσαι ψυχάς. Εἰ γὰρ ἢ μετὰ τὴν τριακώτην ἡμῶν νοθεσίαν  
 εὐρεθῶσι τινες τοῖς αὐτοῖς ἠπιόμενοντες πλημμελήμασι, πρότερον μὲν ἀναξίους αὐτοὺς πο-  
 οῦσι τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, ἔπειτα δὲ καὶ τὰς ἐκ τῶν νόμων κωσῆσανται τιμωρίας.*

Quæ sic latinè doctissimus uir Georgius Haloander conuertit, Insuper (in-  
 quiens) quia ultra prædictos quidam execrabilia etiam uerba & iuramenta de  
 Deo proferunt, Deum prouocantes ad iracundiam, consimiliter & hos admo-  
 nemus, ut tam execrabilibus uerbis, & item per capillum, & caput adiurationi-  
 bus, & id genus alijs uerbis abstineant. Nam si conuitia hominibus ingesta saltem  
 inulta non relinquuntur, multò magis qui diuinum nomen conuicti incesit, di-  
 gnus est, qui supplicium sustineat. Propterea igitur omnes huiusmodi cohorta-  
 mur, ut præfatis delictis abstineant, & Dei timorem in animum sumant, & eos qui  
 honestè uitam transigunt, imitentur. Propter huiusmodi enim delicta & fames &  
 terræ motus, & pestilentie oboriuntur. Atq; hoc genus hominum propterea, ut  
 memoratis illicitis actionibus abstineant, admonemus, ne suas ipsorum animas  
 conijciant in interitum. Nam si post hanc nostram admonitionem iisdem in-  
 herere delictis aliqui deprehendantur, principiò quidem indignos se præbebūt  
 Dei erga homines amore, deinde legitimas etiam sustinebunt pœnas. Cæterùm  
 in Concilio Lateranensi sub Leone Romano pontifice celebrato, clericis quoq;  
 maledicis & blasphemantibus, pœna constituta & decreta est, sub his uerbis:  
 Quicumq; Deo palàm seu publicè maledixerit, contumeliosisq;, uel etiam obscœ-  
 nis uerbis Dominum nostrum Iesum Christum, uel gloriosissimam uirginem Ma-  
 riam eius genitricem expressè blasphemauerit, si Clericus uel Sacerdos fuerit  
 conuictus, etiam beneficiorum, quæcunq; habuerit, fructibus unius anni mulctetur:  
 & hoc sic pro prima uice, pro secunda uerò, si ita deliquerit, & conuictus, ut  
 præfertur, fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo priuetur: si autem plura,  
 quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd si tertio eius sceleris argu-  
 atur & conuincatur, dignitatibus & beneficijs omnibus, quæcunq; habuerit, eo  
 ipso priuatus existat, ad eaq; ulterius retinenda inhabilis efficiatur, eaq; liberè im-  
 petrari et cōferri possint. Distribuant uerò prædicti fructus in fabricas ecclesiarū,  
 uel pauperū eleemosinas, ut in dicto allegato capitulo percensetur: fit & huius  
 nepharij sceleris, eiusq; pœnæ mētio in cētesimo sexto articulo criminalis consti-  
 tutionis Diui Caroli Quinti Imp. Item in praxi criminali doctissimi & clarissimi  
 uiri D. Iodoci Damheudeni Brugensis, capite sexagesimo primo, de crimine læsæ  
 Maiestatis diuinæ, per aliquot folia. Itē apud D. Ioannē Bernardū Diaz de Luceo,  
 Hispanum, in sua practica criminali canonica, capite centesimo tertio, Et in con-  
 filio 48. D. Nicolai, domini Iacobi de Montelbaro, ubi ait blasphemiam esse, di-  
 cere Italicè, Non la potria far dio. Item D. Petrus Follerius de sancto Seuerino, in  
 sua praxi censuali, folio 58 Sed hæc hæctenus. Verissimum autem est atq; certissi-  
 mum, Deū seuerè ac grauiter punire impios & blasphemos, ut suprà dictum est,  
 sic Impi-



sic Impius occubuit gelidis Maxentius undis, putribus Herodes lendibus esca fuit: Persica Iulianum blasphemum sica peremit, constricto pœnas Commodus ore dedit. Merfit & in tumidas cœcum Pharaona sub undas, sicut & tu iusta cæde Philiste cadis: Illia blasphemis rumpantur ut ipsa Tyrannis. Vt Iudæ tandem desinat iste furor. Tartara blasphemos, crudeles tartara Reges accipient, Iustos cœlica regna manent. Porro tempore Iuliani Imperatoris blasphemiam iam supra memorati, præfectus quidam, homo prophanus & audax, qui, ut princeps suus palam perhiberi uolebat hostis filij Dei Domini nostri Iesu Christi, spoliabat templum Antiochiæ in Syria, iussu Imperatoris sui. Cùm autem pii gubernatores Ecclesiæ peterent supplices, ne pecunia, qua ministri Ecclesiæ, & multi miseri ciues alendi erant, auferretur, Præfectus multa contumeliose aduersus Christum loquutus, urina conspergit Aram. Statim autem exportatis thesauris, morbo oppressus est, in quo intestinis infra effusis, excrementum non deorsum, sed fursum per gulam & os emisit, ut admoneretur, quales sordes antea per os edidisset, cùm horrendas blasphemias contra filium Dei dixit. Exemplum admonet omnes, ne dicant blasphemias. Hoc autem singulare genus pœnæ meminerint omnes blasphemii, & se adsuafaciant singuli, ut uera animi reuerentia Deum, eiusq; filium & uerbum colant & amplectantur. Zophoniæ 2. inquit Dominus: Audiui probrum Moab, & blasphemias filiorum Ammon, quæ iecerunt in populum meum, grandiaq; quæ locuti sunt super terminos eorum. Propterea uiuo ego, dicit Dominus exercituum Israelis, quod Moab futurus erit ut Sodoma, & filij Ammon ut Gomorrha, reliquæ urticarum, & fossæ salis uastitasq; perpetua. Et etiam nostro tempore agitata quæstio, An potestas politica debeat hæreticos, controuersia ritè cognita, & post piam admonitionem pertinaciter blasphemantes, è medio tollere, aut capitali supplicio adficere? De qua quæstione recens certamen ortum est, postquam Seruetus, qui Samosateni uenenum renouauit, & alia pestifera dogmata sparsit, capitali supplicio adfectus est ab honesto Senatu in urbe Geneua. Nescitur autem, cur quisquam in tanto scelere iudicem esse uelit clementem, nisi putet forsan prauis ingenijs concedendam esse licentiam infinitam maledicendi Deo. Sed aduersarij tamen subtiliter disputant, non esse armandos hac potestate Magistratus politicos, quia postea abusi sint exemplo Tyranni aduersus rectè sentientes, sicut in plerisque hac ætate compertum est, qui interfecerunt hoc prætextu homines honestos & pios, sinceram Euangelicam doctrinam amplectentes. Quæ peruersitas & atrocitas Tyrannorum in pios & quietos, uelut haud quaquam approbanda est, ita quoq; legitimus Magistratus, ceu custos legum & Decalogi, debet punire blasphemos, maledicos, periuros, Magos & Anabaptistas: qui non obscure significant quales ludos, quales factiones ament, qualiaq; monstra alant. Necessè est igitur à Magistratu prohiberi, tolliq; blasphemos, periuros, magos, & malefactores. Sunt & inter blasphemos, qui Deum, eiusq; filium & λόγος, ut Iudæi, execrantur, ac idolorum cultum non sequuntur tantum, sed & pertinaciter defendunt: contra quos ipsa lex quoq; pugnat, quæ, ut Paulus inquit, impijs, prophanis, idolatris, & malefactoribus posita est: ubi certè blasphemos, Iudæos, & similes complectitur Paulus. Ferunt Seruetum hæreticum, cùm ad supplicium duceretur, iussum esse inuocare filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, his uerbis: O fili Dei Iesu Christe, miserere mei: sed noluisse. Tanta enim fuit eius pertinacia in blasphemia, quanta etiam hodie est Iudæorum & Turcarum, qui non inuocant Deum æternum patrem filij missi, & constituti mediatoris, imò mediatorem ipsum filium Dei contumelia afficiunt, & sic ruunt magis in blasphemias ac odium Dei, Quia Deus pater cœlestis sine filio mediatore, quem reijciunt & blasphemant Iudæi & Turcæ, non uerè agnoscitur, nec uerè inuocatur, sicut inquit Christus: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Item: Nemo nouit patrem, nisi filius. Et Paulus: Per hunc habemus accessum ad patrem. Rom. 5. Nec petunt in nomine Christi mediatoris, seu fide in Christum: quæ discernit inter precantes, Iudæos & Turcas, Hypocritas, & omnes habentes malam conscientiam, & inter uerè Christianos.



De blasphemijs & execrationibus prohibitis ac puniendis, agit deinceps Imperator noster in hac politica constitutione cap. 2. 3. & 4. satis prolixè ac luculenter. Quemadmodum & in constitutione publicorum & criminalium iudiciorum, articulo 106. quem breuè illic auctario explicauimus. Si quis tamen de tanto læsæ Maiestatis diuinæ nefario crimine uidere plura desiderat, uideat caput 61. Enchiridij rerum criminalium clarissimi & doctissimi uiri D. Iodoci Damheueri Brugensis, per multas pagellas.

*In Caput quintum Politicæ Diui Caroli V. Annotationes  
Doct. Iustini Gobleri.*



IMPERATOR noster uult & mandat, in milites, siue sint equites seu pedites, maledicos & blasphemos grauius ac seuerè animaduertendum esse, adeoq; eas pœnas in formulam iuramenti complecti, quæ solet illis ante militiam ab Imperatore & duce eorum proponi palàm ac prælegi, ne quis ignorantiam fortè prætexere aut causari possit. Formula autè eiusmodi articuloꝝ ferè talis est, qui è Catalogo primùm recēsentur, deinde iureiurādo à singulis præstito firmantur, ex more militari prius delectu habito. In primis iurant Cæsareæ Maiestatis damna cauturos ac prohibituos esse, eiusq; commoda & utilitates sese promoturos. Secundò iurant illius Cæsareæ Maiestatis loco & nomine, illustrissimo Principi Duci Erico Brunsvigensi & Lunenburgensi, tanquam suo præcipuo Commissario, ac Duci exercitus, obsequuturos ac ministraturos, atq; in omnibus parituros, ac nihil recusaturos uel denegaturos sese, siue in acie cum hoste confligendum pugnandumue, & muros incurrendum sit, aut uigilandum, uel in castris ut decet, manendum, obedientiam præstituros, ita ut par est æquumq; bonos rectorosq; milites præstare. Tertiò iurant, quòd nullam profectionem in & aduersus hostes detrectabūt uel recusabunt aut nō discedant absq; iussu uel mandato illustrissimi principis, aut eius locum tenentis seu legati. Quartò iurant, quòd minoribus etiam præfectis militum, seu capitaneis, signiferis atq; ductoribus obedire uelint, in uigilijs obseruādis & custodiendis in profectionibus, in castris, in ordinibus, in aciebus, nullo dempto, quodcunq; ad rem militarem & honestatem spectet & pertineat, etiamsi capitaneus quispiā, uexillifer, antesignanus, uel ductor, aut alius miles minor aut maior, non sub suo signo aut uexillo militans aliquid iusserit & præceperit, ei obsequatur, ut suo capitaneo, signifero & ductori. Quintò, iureiurando adfirmabūt, à signo uel uexillo se nō discessuros, siue in castris, siue in profectione, aut expeditione, absq; supremi capitanei permissione, ac uenia salua inferioris quoq; præfecti: nemo item alium in locum suum subponat ad uigilias ex ordine ad ipsum pertinentes, siue is grauis, siue leuis armaturæ miles sit, quin unusquisq; suo loco & ordine ipse uigilias seruet et expediat, nisi uehementer ualitudine aduersa præpediatur ac remoretur. Sextò iurabunt, ne quis in castris bombardis utatur, ac globos è pixidibus emittat, sed extra castra: nec cantu, nec clamore aut uociferatione in castris. Et si quis ista ab alijs exaudiat aut uideat, eū placidis uerbis erudiat atque emendet. Si uerò non audiuerit, domino militiæ atq; exercitus, mediante suo præstito iuramento, indicet atq; denunciuet. Septimò iurare debent, si quem locum illustrissimus princeps & dux designauerit, ut illico motu concitato, ad signum & uexillum concurrant: quisquis uerò in sua casa aut domicilio perstiterit, nisi ægrotus aut uulneratus esset, ab eo auferāt milites quicquid habet, ac ipsum domino militiæ tradant. Octauò, iureiurando adferetis, si illustrissimus princeps oppida aut arces, territoria aut uillas recipiet coactas incendij minis, aut alijs modis sibi uisis, ut non obturbetis eum, aut impediatis uerbis aut factis, sed quicquid condixerit, non remoremmini, quin obseruetis ipsi, medio uestro iuramento atq; corporali pœna. Nonò iuretis, quòd si illustrissimus princeps ciuitates, oppida aut arces, territoria seu uillas deuicerit, aut præda

Formula  
articuloꝝ  
militarium  
à Diuo Ma  
ximiliano  
Cæsare  
præscripta  
Anno Do  
mini 1508.  
Hic quisq;  
cogitet,  
neruum to  
tius rei mi  
litaris esse  
disciplinā  
& iussu  
randum.



subiecerit, quouis modo uoluerit, uel communi prædæ uel cohortali denunciando aut subiiciendo ex suo arbitratu, ei pareatis & obsecunderis, ad maiora incommoda & damna uitanda. Si quis etiam siue magnum siue paruum quicquam abstulerit uel auexerit, sine principis permissione ac bona uenia, ei auferetur quicquid habet, ac corporali pœna afficiatur atq; plectatur. Decimò, Iuramento adfirmetis, nullas factiones aut conuenticula facere aut struere uelle, aut Trummarum uerberatores ad hoc musicæ genus sonare, aut classica canere cogere siue compellere sine principis aut sui loci tenentis uel aduocati permissione. Undecimò iurabunt, forum liberum tenere, et omnes commeatum ac uictualia aduehentes tueri ac defendere, nec quid uendere ante castra, sub pœna iuramenti præstiti, et corporis afflictione. Sic & iurabunt, Ecclesias, Monasteria & sacras ædes, ita ut sunt, tueri & nõ lædere, nec dehonestare, nisi hostes ex illis se muniant atq; defendant.

Iurabunt quoq; puerperas, uiduas, pupillos, sacerdotes, & alias honestas uirgines, puellas, & matronas tutas & illæsas fore, sub periurij et capitis pœna. Item iurabitis, si quis audierit criminari Deum aut blasphemare, aut Matrẽ eius, eum deferetis apud principem militiae, aut præfectum, & puniatur pro merito & condigna pœna. Iurabitis itẽ, ne compotetis supra quàm quisq; ferre ac tolerare possit, cum per immoderatas compotationes, crapulam & ebrietatem pleriq; homines in contemptum, ignominiam & negligentiam illabantur atq; deueniãt. Iurabitis etiam, quòd nemo uestrum ex ueteri liuore, odio aut simulatione, dum sub principe militetis, quacumq; occasione factum fuerit seu contigerit, uindictam aut ulciscatur, quin potius conuiescat omni eo tempore, ac intercitat. Quòd si uerò acciderit res causaq; sub principis gubernatione, eam controuersiam seu litẽ sedabit ac componet ex æquo princeps. Iuretis quoq; si manipulos, cohortes, partes aut factiones uideritis, ut pacem interponatis ac iubeat: qui autem illam seruare noluerint, eos occidatis absq; medio. Item iurabitis, quemadmodum nunc isto tempore apud principem hunc militiae cernitis & habetis capitaneos, præfectos, signiferos, et ductores existentes, eos uos non mutaturos esse, sed eos princeps militiae constituendac deponendi habeat potestatem. Cæterum iurabitis, locum semper uos duros esse equitibus, unã cum suis armis & equis, et ubicumq; commeatus & uictualia haberi possint, etiam apud hostes, neutiquam impedituros. Iurent etiam illustrissimo principi militiae & exercitus, primoribus & capitaneis ius suum permissuros ac præbituros esse. Item iurent quoq; alios plures articulos non in specie præscriptos, & ad bonos milites pertinentes, se obseruare uelle, nullis exceptis. Et si quisquam in murorum incursum, aut in pugna & conflictu cum hostibus retrocedere uel in fugam se dare uel uertere uellet, eum proximus quisq; ni iuramenti præstiti, confodat & occidat.

Tales articuli & formulæ possunt plures aut pauciores, pro conditione & qualitate rei bellicæ & militaris, ab expertis & prudentibus Imperatoribus, principibus & ducibus constitui atq; præscribi. Nec dubium est, quin multò plures his passim apud principes iustæ militiae ueteris reperiantur, quæ tamen ferè ac propemodum cum prædictis Diui Maximiliani, primi eius nominis, Romani & Germanici, immortalis Imperatoris, formula & articulis in eandem recidunt sententiam. Hos autem iam obiter hîc referre libuit, ut & memoriam tanti principis repeterem, & honestorum morum ueterum Germanorum, legitimè belli, iustæq; & laudatæ militiæ præcepta iureiurando adserenda & confirmanda, rudibus ante oculos ponerem: uelut Vlyssis filio Telemacho, mater Penelope patris uirtutes artesq; in memoriam ad imitationem reuocat, ad maritum scribens: Est tibi, sitq; precor, natus, qui mollibus annis In patrias artes erudiendus erat. Et pius Aeneas apud Virgilium ait ad filium suum Iulum: Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem, Fortunã ex alijs. Sic hodie diui Imperatoris Maximiliani primi, nepotes & pronepotes, Diuus Maximilianus secundus, Cæsar noster Augustissimus, Ferdinandus secundus, Carolus sextus, Robertus & Ernestus Archiduces Austriae, à suis progenitoribus laudatissimis uirtutum omnium exempla



exempla honestissima plurima domi forisq; pacis militiaq; clarissima habent, quæ sequi, & ad posteritatem propagare poterunt.

Cæterum serui illi militum, calones & lixæ, quos Græci σκευοφόρους, ex eo quod ligneas clauas gerebant, uocant, uilissimum & uanissimum genus hominum, non solum calumnijs, mendacijs, furtis & rapinis, atq; omnis generis uitijs & sceleribus, uerum etiam periurijs, deierationibus, execrationibus & blasphemijs in Deum & homines propensissimum: hic circa finem huius capituli à Diuo Imperatore Carolo notantur, ac pœna capitali corripitur, blasphemiam crimine obnoxij fontesq; comperti. Hi enim in castris militibus ligna portant, aquam ad castra uel tentoria solent ferre, exercitum, & impedimenta, quæstus gratia extra ordinem subsequuntur, furaces, uoracesq; plerumq; & uinofi, ac propterea, ut quidam putant, lixæ à liguriendo appellati. Perottus uerò adfirmat à cinere dici. Horatius: Hic se præcipitem tectis dedit, ille flagellis Ad mortem casus, fugiens hic decidit acrem Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos. Hunc perminxerunt calones. Vbi interpret inter calones & lixas hoc discrimen facere uidetur, ut illos militum ministros, liberos homines, hos uerò seruos proprios eorundem esse putet. Milites sunt uel equites, uel pedites, diuersis in acie nominibus distincti: militum causa fabri, tubicines, liticines, lixæ, calones. De calonibus uerò Flavius Vegetius libro tertio rei militaris sic scribit: Deniq; ex ipsis calonibus, (quos galearios uocant) idoneos ac peritos usu leges bant, quos non amplius quam ducentis sagittarijs, puerisq; præfecerant. Hisq; uexilla dabant, ut scirent ad quæ signa deberent impedimenta colligere. Sed propugnatores ab impedimentis laxamento aliquo diuiduntur, ne constipati lædantur in prælio, ambulante exercitu. Ut locorum uarietas eueniret, ita defensionis ratio uariatur. Nam in campis patentibus equites magis solent impugnanre pedites: at uerò in locis syluestribus uel montosis, uel palustribus, pedestres magis formidandæ sunt copiæ.

Libro 1.  
Sermo. 540  
tyra 2.

*In Sextum caput politiæ Diui Caroli Quinti, Explicatio Doctoris Iustini Gobleri Goarini Iuris-consulti.*



**I**C iam Cæsar noster enumerat res atq; personas ferè, quas supra proximo capite quinto, in formula articulorum militarium iureiurando quondam Diuus quoq; Maximilianus saluas, immunes atq; priuilegiatas fore præceperat: quæ etiam hodie in iusto bello & strenua militia sanctè ac fideliter obseruari oportebat, atq; tueri: sed contrarium sæpe contingit, non seruata disciplina ac iure militari, neq; iureiurando ad præscriptos articulos præstito, nempe quæ sacra loca, sacræ ædes, Ecclesiæ, templa, monasteria, prophantur ac dedecorantur: puerperæ, uiduæ, pupilli, sacerdotes, honestæ puellæ, uirgines & matronæ offenduntur, ac deonestantur, quum maledicunt Deo, filio eius, atq; hominibus, maximè ab ingurgitatione, crapula, temulentia, compositi onibus & ebrietatibus refertis, & onustis: deinde diras uoces & blasphemias eumentibus, uigilias & custodias negligentibus, nec muros nec ualla dignè tuentibus, sæpe magno cum periculo totius exercitus. Libet uerò hic comminisci ac recitare Iurisiurandum uetus honestissimum, quod in Attica quondam à ciuibus et militibus præstari solebat, uidelicet, Non faciam indigna sacris armis, neq; deferam meum manipularum, cuiusq; in acie adiunctus ero. Pugnabo autem pro templis, & pro diuinis ritibus, & solus & in multitudine. Patriam non deteriorè efficiam, sed meliorem quam accepi. Et semper obtemperabo modestè rebus iudicatis, & legibus positis obtemperabo, & ijs quas communi consensu deinceps populus condet. Et si quis murabit leges, aut non obtemperabit, non concedam. Ero autem propugnator, & solus, & in multitudine, Et patria sacra colam. Dii sint



testes horum dictorum. Illi olim supplicio afficiebantur, qui partem aliquam huius iurandi uiolârunt: nunc in Deum, ac filium eius, diuosq; & homines atrociter peccantibus, plerumque impunita conceduntur delicta & crimina, etiam si præclarè omnino & grauiter dictum sit à disertissimo Græcorum oratore Demosthene, nihil ualere ciuitatem, nihil magistratum, qui neruos non habet aduersus facinorosos, & qui in malos homines non animaduertit, ut supra etiam meminimus. Sunt enim maledicta, uiolentia, & publica crimina, præsertim in custodienda & seruanda disciplina militari, non quidem per uulgum, aut quemlibet priuatum, sed publico gladio per magistratum ferienda & punienda. Sic enim præcepit Mosi Deus, Deuterono. cap. 17. Iudices & Præfectos (inquiens) constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio. Non declinabis iudicium, non agnosces personam, nec accipies munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & deprauant causas iustorum. Quicquid iustum est persequeris, ut uiuas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et cap. 1. eodem libro loquitur Mose ad omnem Israel trans Iordanem, in solitudine campestri: Non ualeo solus negotia uestra sustinere, & pondus & iurgia. Date ex uobis uiros sapientes, intelligentes & notos in tribubus uestris, ut ponam eos uobis principes. Tunc respondistis mihi (inquit Moyses) bona res est, quâ uis facere, tuiq; de tribubus uestris uiros sapientes & notos, & constitui eos principes, scilicet, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, & præfectos, ut iudicarent uos: Præcepitq; Iudicibus uestris, dicens: Audite illos, & iudicate eos iustè, siue ciuis sit ille, siue peregrinus: non agnoscetis personas in iudicio: ita paruû audietis ut magnum: nec reuereamini cuiusque personam, quia Dei iudicium est. Quòd si difficile uisum uobis aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. Præcepitq; omnia quæ facere deberetis. Cuius sententiæ propemodum ad stipulatur Diuus Paulus Apostolus, in Epistola ad Romanos, cap. 13. inquiens: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ uerò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsis iudicium accipient. Nam principes non sunt terrori benè agentibus, sed malè agentibus. Vis autem non timere potestatem, quod bonum est, facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Quòd si feceris malè, id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Ideo oportet esse subditos, &c. Porro autem articuli illi, & tota res militaris, de qua Cæsar hic commemorat, uiris & armis constat. Viri, dux, & milites, & qui militum causa. In Duce, scientia, peritia, autoritas, fortuna requiritur: In milite robur, & disciplina. Hi uel equites, uel pedites, diuersis in acie nominibus distincti: militum causa fabri, tubicines, liticines, lixæ, calones. Arma, quibus oppugnamur, aut defendimur, hastæ, cuspides, bombardi, clauæ, lorice, eaq; quibus uel feritur, uel pungitur, uel iacitur, & à mechanicis cuduntur, & fiunt atq; parantur ad bellum. Inter quæ etiam naualia continentur, scuta, pilæ, globi, harpagines, quæ bellis ad pugnas cominus & eminus accommoda instrumenta fabricantur: scalæ, funes, anchoræ: In quo genere naualium instrumentorum & nauigia ipsa comprehenduntur, liburnæ classes, triremes, biremos leues, barcæ longæ, quibus Veneti utuntur: Item oneraria & actuaria. Item prætoria puppis, de qua Lucanus in tertio: Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis Verberibus. senis agit molemq; profundo Inuehit, & summis longa petit æquora remis. Ceterum autè huc ad militiam tironum delectus, & exercitatio, positio castrorum, & munitio: Instructio aciei, quæ *Tactica* Græci uocant, qualis est *orthia*, *epagoge*, et *colembos*, & *phalanges uariæ*, ac *diphalangie*, *amphistomi*, *antistomi*, *peristomi*, *omneostomi*, *eterostomi*, *inflexæ*, *incuruæ*, *ouatæ*, *lunatæ*, *laterculi rostra*, & alia id genus oppugnatio, & propugnatio, de quib. præter *Thucydidem*, *Polybiû*, *Plutarchû*, & *Liuium*, etiã *Flauius Vegetius*, *Aelianus*, *Modestus*, & alij. Ex professo quoq; stratagemata ipsa *Sextus Iulius Frontinus* quatuor libris, quos olim ex *Latio Germanicè* transtulimus, exequitur.



*In Caput Septimum Politicæ Diui Caroli Quinti Imperatoris,  
Annotationes Doct. Iustini Gobleri Go-  
arini Iurisconsulti.*



D motus excitandos, & publicæ pacis turbationē, prioribus annis, sæpe quum peditum tum equitum, concursus passim, & conuenticula, tacitis ac dissimulatis eorum dominis uel ducibus, facta sunt. Hinc data est occasio huic constitutioni, ut eiusmodi grassaturæ in Regno Germaniæ aliquo modo obuiaretur. Nam quantum mali agricolis et damni in pluribus locis ab illis uagantium militum cohortibus datum sit, quantum incommodi, & expensarum atq; negocij, principibus, ciuitatibus & oppidis nonnullis

facefferint erronei illi, dictu propemodum est incredibile, nec omnia satis ullo sermone explicari poterunt, apud illos, qui rem ipsam ignorant nec uiderunt.

Quare tunc necessarium erat, istorum uagantium & palantium erronei causa sæpe conuentus & Comicia agere, ac illud malum aduersum consulare, atq; constituere, ne in immensam Reipublicæ totius perniciē excresceret, ac uniuerso Imperio exitium adferret. Posteaquam autem magnis sumptibus principum, magistratum, & populorum atq; iniuria uulgi, res ipsa docuit, eas factiones patriæ regnoq; Germaniæ pestiferas & exitiosas esse, nimirum si eiusmodi furum gregales manipuli hinc inde discurrendo grassarentur & tolerarentur, cum non iustam militiam aliquam prætexere possent, ne heros dominosue aut duces suos profiterentur, quin & manifestè palamq; miseram plebem in pagis uillisq; uulgum & agricolas omnifaria iniuria atq; malitia affligerent, interdum etiam trucidarent, & quicquid habebant furarentur & auferrent, contra ius, phas, æquumq; imò & publicè sancitâ Cæsareæ Maiestatis pronunciatam, promulgatam, & declaratam pacificationem, contra quoq; proximis Comicijs Vormatiæ emissum mandatum atq; edictum, tot tantaq; damna & dispendia ui factisq; inferendo.

Quapropter Rex inclytus Daniæ, Electores quidam, principes & status imperij, adiunctis nonnullis alijs Electoribus principibus, eorumq; consiliarijs & legatis, ex Cæsareæ Maiestatis iussu mandatoq; ac pro publicæ pacis conseruatione diligenter matureq; deliberando perpenderunt, atq; in animum reuocarunt non modò suum officium, quod se, ut principes pios ac magistratus, deceat, & Deo optimo maximo præstare teneantur & debeant, uerum etiam quòd ipsamet necessitas cogat & urgeat debitam & opportunam in huiusmodi difficultatibus et periculis curam suscipere, & præstare operam opemq; laboranti patriæ, talem quidem, ut gregalium concurrentium militum, & mercenariarum copiarum, tam pedestrium quam equestrium grassaturæ, quantum fieri possit, occurratur, & externorum hostium incurfus & impetus reprimantur, & gens populusq; noster, adeoq; miseræ plebes, agricolæ & coloniæ intestinis bellis in sacro Romano imperio, inq; primis Germanica natione tueatur, defendatur & cōseruetur. In eum igitur finem sæpe multumq; cogitatum atq; deliberatum est, utile iuxtà ac necessarium uideri, concionem atq; conuentum fore, hoc loco Hannobriæ proximis Calendis Martij, ad agendum, tractandum & constituendum, quibus uijs, quo modo, pactoq; talibus uetitis & prohibitis concursionibus gregalium ac uagantium palantiumq; militum conuenticulis & attentationibus illicitis, actibusq; pacifragis, pro tuitione & defensione ac salute patriæ, obuiandum & resistendū sit: in quam deliberationem ac consultationem, alij quoq; principes ac status absentes, quorum prouinciæ & regiones, populiq; subiecti, ab illis uagabundis erroneis, conductorum suorum nomina occultantibus ac dissimulantibus, nec palam profitentibus, infestantur, ac ubi illas suas factiones, conciliabula & conuenticula habeant ac congregare solēt, conscribantur & accersantur. In quo quidem cætu ac conuocatione inclyti & serenissimi Regis Daniæ, principum Electorum, aliorumq; principum, Comitum & Statutum consiliarij & legati præsentibus



dictam causam gregalium & uagantium ἀσκοπιῶν καὶ ἀκοιρανῶν πελῶντε καὶ ἰπ-  
πιῶν tractauerunt, perpendentes quemuis principem ac Magistratum decere  
non solum, eiq; laudi dari, sed etiam ex officio suo quenque teneri ac obligari,  
acriter obtueri atque inspicere, ut pax communis, honestas publica, & salus  
patriæ tueatur ac defendatur, quò item prouinciæ, regiones, ciues & populi  
subiecti, plebes, agricolæ & coloni in huiusmodi difficultatibus & periculis  
incolumes custodiantur ac conseruentur. Quò uerò id rectius fiat atque eue-  
niat, nec per concursus uagantium militum, ac eorum uolentias, pax publica  
conturbetur, aut euertatur, uisum est è re communi ac usui utilitatiq; fore,  
ut sequenti tenore articuli quidam constituantur, ad auertenda & minuenda  
illa grauissima onera, impendia & damna, quæ per currentes illos uagantes  
gregales milites, principibus, magistratibus, populo & subiectis inuehuntur,  
atque conuenticula præpediantur. Quòd si uerò præter iustam adhibitam  
operam à cepto non desistant, nec abeant, ratio ineunda est, quomodo dis-  
sipentur ac depellantur. Idcirco uisum est profore, ut Rex Daniæ, Electores,  
Principes, Comites & Ciuitates huius sententiæ atque concordia, per ipsorum  
prouincias, regiones, ditiones, terras, Magistratus & territoria acriter man-  
dent atque edicant, publicè denunciando ac affigendo, ne quisquam subiecto-  
rum ipsorum talibus erroribus se adiungat, uel immisceat: multò minus  
eorum ductoribus adhæreat, aut commeatum, pabulæue subministret, opem  
ue aliquam ferat, sub pœnis fractæ pacificationis in Cæsareæ ac Regiæ Maie-  
statis mandatis & edictis comprehensis, aduersus eiusmodi gregales concur-  
rentes uagantesq; milites, tam equestres quàm pedestres constitutis & irroga-  
tis in proximè Vuornacensibus Comitibus publicatis. Nec quisquam item  
subiectorum, citra Magistratus sui assensum & auctoritatem se in seruitium uel  
ministerium quodquam det uel mancipet, sub simili graui pœna atque puni-  
tione seu mulctatione, quemadmodum & contra illos, qui ad tempus aliquod  
excurrunt ac emanent, obseruetur ex formula seu notula edicti uel mandati,  
uidelicet iuxta cuiusque Status & regionis conditionem, ad quam illa extenden-  
da sunt & ordinanda, publicandaq;.

Caterum quoque Status omnes & singuli huius concordia & unionis di-  
ligenter aduertant & inquirent in concitatores & primarios ductores talium  
mercenariarum copiarum, tam pedestrium quàm equestrium, ac alter alterum  
certificet, in cuius territorio uel regione se occultant, ut conquirantur & ap-  
prehendantur, de suo proposito & conatu interrogentur, ac tenore Cæsareæ  
& Regiæ Maiestatis edictorū & mandatorum, uel alijs iuxta statum & conditio-  
nem, uel facta gestaq; eorum plectantur, nec ulli parcatur, ita, ut alijs cedat in  
exemplum & cautelam, ab eiusmodi delictis factisq; abstinendi & cauendi. Quò  
etiam minori discrimine atq; periculo aduersus tales cōcitatores & cōductores  
procedatur, debet ac potest quilibet Status, ui mandatorum & edictorum, ac sub  
titulo totius huius unionis atque concordia illos uagantium & concurrentium  
errorum cōcitatores & conductores persequi ac punire. Volunt item ac debent  
dictæ unionis consortes omnes & singuli, nimirum quisque suo loco & in sua  
ditione ac territorio, in confinibus terra mariq; prospicere, & aduertere ac  
curatè ac diligenter, ne quis concursus militum seu mercenariarum cohortium  
seu pedestrium seu equestrium fiat feraturue, absque passagij uel dimissorij  
schedis, quin potius interrogentur, quò profecturi sint, & quæ sint eorum  
molimina, qui conatus? quò teneant iter? & iuxta conditionem causæ rerumq;  
circumstantias, & responsa ipsorum, ex meritis apprehendantur & corripiantur,  
ut æquū est: aut si qua fortè spes seruitij oblata est, & in unionis ac consortiū dam-  
num atq; dispendium mihi perperam patrârunt, cautione et securitate præstita, et  
quòd porrò à concursu & conuenticulis eiusmodi desistant, fidem faciant,  
ac retrò dimittantur. Si qua uerò milites inuitis præfectis & officiatis  
locorum, aut Magistratu, uel etiam subiectis, transire uellent, confestim  
ad Campanæ sonitum persequantur & puniantur. Quò plus etiam col-  
luies



Iunies illa concurrentium militum clam palamque euitetur & caueatur, quisque unionis consors seu adhærens, sicubi fama uel rumor fit, aut suspicio congregationis seu concursus exoritur, in sua ditione uel districtu uel territorio, contra eos, iuxta qualitatem rerum & causæ insequendo & populando aduersum tales suspectos, ubi deprehensi fuerint, pœna, ut dictum est, usurpetur. Verum autem non ea, quæ suprâ scripta sunt, omnia diligenter disposita, & acriter exæcuta fuerint, quemadmodum uniti Status & coniuncti, bona fide ac fideliter præstare uolunt ac debent, sperandum utique erit, per ea pacifraçtores, uagantes & palantes, concurrentes & mercenarias copias, tam pedestres, quàm equestres, repressum iriatque depelli, & ex ijs sequentia damna & incommoda, difficultates & pericula de cætero auerti atque caueri.

Quòd si uerò contra adhibitam industriam, diligentiam & prouisionem quisquã molitus conatusque fuerit, concursum gregalium uagantium, & mercenariarum cohortium, seu copiarum, tam pedestrium, quàm equestrium, concitare uel congregare, extunc quidem Status nostræ unionis atque coniunctionis, uolunt ac debent subiectos sibi, atque etiam uasallos suos auocare, sub pœna & amissione corporis, & rerum suarum. At si motus & concursus uel congregatio in locis ac terris horum statuum oboriatur atque contingat, id haud quidem Status ille ferat uel sustineat, sed in continenti uetare ac prohibere debet atque reprimere, attentatores etiam & factores debitis pœnis ex præscripto promulgatorum edictorum afficiat, corripiatque. Quòd si Status is debiliior esset, quàm ut absque difficultate id & periculo efficere posset, extunc conscribat & aduocet uiciniiores Circi, ac unionis cõiunctos (ut infrâ sequetur) ad opem suppetiasque ferendas: illi quoque, uelut Cæsarea ac Regia edicta atque mandata perhibent atque præscribunt, confestim ocyusque præsto parati que adsint, & suo auxilio temerarias illas copias frangant atque dispellant. Cumque autem perpensum sit, multos esse, Dei benignitate, Status, quosdam etiam remotiores, ac moram fore periculosam, si à remotioribus Statibus auxilium ad repressionem concurrentium gregalium expectandum fuerit: Ad hæc, initio concursus tam uilis ac modicus esse posset, ut ad abigendum eos totius unionis ac ordinis ope non foret necesse, quapropter Status in tres Circos, uidelicet, in superioris & inferioris Saxonie, & Vuestphalie partiti sunt, quemadmodum discriminatim, circa finem huius scripti seu recessus notantur. Vbi ergò in unius Status prouincia, aut ditione, seu territorio, concursus eiusmodi aut congregatio oboriretur atque contingeret, aut idem ab alijs gregalium uagantium militum copijs in alia regione uel ditione forsitan cumulatis & coaceruatis obrueretur, nec Status is solus resistere, nec talem tantumque grassatorum impetum reprimere posset, alios exinde status sui Circi conscribat & aduocet, qui mox & festinanter auxilio ueniant mittantue, nec quam moram necere, dilationemue quærere debent, siue alius alium expectare: nec quidquam simultatis, contentionis, dissidij, uel litis aduersus eundem statum prætere, qua impediri aut remorari posset. Si qua etiam totius Circi auxilio non foret opus, poteritis, qui opus habet, partem petere, ne Status inutilibus impensis grauentur, sed magis releuentur.

Vbi autem auxilia tota aut pars eorum aduenerit, ac roboris tantum adfuerit, ut spes sit, concursum fundi, fugarique aut dissipari, ex tunc debent illos, etiam si nonnullorum auxilia necdum aduenerint, aggredi, & audacter fortiterque contra eos hostes, perduelliones, pacifragos, ac perditores terrarum & hominum ui, factoque procedere. Quum autem fusi fugati que fuerint, in eodem ac alijs Circis, ubicunque extiterint, persequantur, in limitibus, uijs & itineribus conquirantur, & ad pœnam adigantur. Quòd si uerò Status quispiam ad interpellationem & requisitionem eius, cui auxilio uenire oportuit, non suppetias opemue tulerit, circi præfecto id ac capiti significetur, ut ab eo uocet aut compellat. Præfectus autem, seu princeps circi, cui feruntur auxilia, quolibet tempore, expertum



militem unà cum auxilijs mittere, ut idem simul eius Status, in cuius ditione seu territorio uel districtu colluies illa, seu concursus factus est, officiat, mandatarijs & militibus præsit, aciem dirigat & exercitum regat, ac res ea militaris quanto rectius & minori dispendio expediatur & exequatur. Status quoque is, qui auxilia, suppetiasq; expetit, iustam uim suorum equitum pariter & peditum addat, armaturam item tormentorum æquam, cum omnibus attinentijs, suis impendijs & apparatu commeatuq; in campum expediat, ad necessitatem prædictam usui utilitatiq; futuram. At si concursus ex unius Status regione in aliam, posteaquam auxilia postulata fuissent, discedat, ambo, qui & auxilia postularit, & qui, in cuius ditione ac districtu seu territorio concursus dissipatus esset, expensas illas & impendia, quæ ad tormenta campi conferenda sunt, æqualiter præstare ac ferre. Is quoque, è cuius ditione ac terra, seu districtu, colluies illa gregalium grassatorum abierit, tantum opem ferre: alter, in cuius terram grassati sunt, suam uim, roburq; , ut dictum est, adhibeat. Quòd si uerò concursus & congregatio militum illorum uagantium tanta ui ac robore ingrueret, tantaq; uiolentia immineret, ut non posset unius circi præsidio atq; auxilio, absq; singulari magnoq; discrimine, & graui periculo damnoq;, amoueri atque repelli, poterit ex tunc Circi Dominus & caput, aut locum tenens, seu mandatarius eius, quem apud suum iudicium habet, unà cum grauato statu, alios status proximi uicini, adeoq; etiam tertij Circi interpellare atque requirere, hq; repente ac maturè sua auxilia equestria iuxta ac pedestria, ad locum deputatum certum mittant, nec alter alterum expectare debet, quinimò tam uelociter quisque se suosq; exhibeat, quemadmodum sibi ipse in necessitate uelit ac cupiat fieri. At qui auxilia trium circulorū, sicubi fortè fuerint debiliora minusq; efficacia, quæ necessitati postulante commodo opportunoq; loco, absque mora, compareat, à Domino Circi, cuius id necessitas exigit, deliberaturi, quomodo res ea porro sit instituenda, suscipiendaq;, quò grauamini isti obuietur, occurraturq;, adeoq; etiam medeatur.

Accideret uerò, ut concursus & congregatio copiarum uagantium, ex uno Circo in alium compellerentur, ex tunc quidem Status, qui in expeditione essent, sequantur, & Status illius Circi, in quem concursus factus erat, immediatè, & ut Græci dicunt, *παρά χρέμα*, atque confestim ad iter & expeditionem accingantur, ad præueniendum concursum & colluie illam factiosarū cohortium, ac remorandum, donec subsequentes turmæ appropere, & simul iuncti ui fortesq; effecti hostes adoriantur, fundere fugareq; possint. Si uerò concurrens agmen, & colluies illa in alias terras territoriaue eius, qui non huius ligæ uel unionis sit, profugeret, persequatur illa, & agatur, quemadmodum horum Statuum ac militia principibus & ductoribus expedire consultumq; uidebitur ex necessitate & utilitate fore. Nullius autem industriæ atque diligentia in ea re parcent, quò congregatæ uagantium copiae insequantur, apprehendantur & fundantur, aut dissipentur. Quisque uerò Statuum suos milites quatuordecim diebus, simul atq; terram eius, qui auxilium expetiuit, attigerit, suis impendijs alat. Quid autem porro fiat, si longius in expeditione fuerint, de ea re in Comitijs Circensibus consultabitur ac statuetur.

Si uerò Status, eiusq; subiecti, eo nomine, quòd uagantibus copijs seu militibus impedimento, ac remoræ fuissent, puniissent aut repulissent, oppugnaretur, aut minis pulsaretur, talismo di hostibus & minatoribus ab omnibus Statibus huius unionis & ligæ, accuratè diligenterq; obuietur, ut ceu temerarij pacifraçtores & perduelliones ad pœnam adigantur & plectantur. Experientia quoque sæpenumerò compertum est, quòd milites dominum, cuius res causaq; non fuit, nominauerint, sicq; falsa specie atque prætextu concursum & congregationem fecerint, ac postea in damnum & dispendium ditionum populorumq; perrexerint. Quocirca à Statibus huius unionis seu concordia, deinceps nullis eiusmodi militiae literis fides adhibenda erit, aut homines conuocandi, aut commendandi uenia danda, nisi dominus, cui colliguntur milites, ad Statum illum, à quo



à quo dimittendi sunt, scribat, & caueat, eos milites quandiu iuncti, aut sub signo atque uexillo fuerint, aduersum huius unionis status non usurpentur, neq; sumpta aut clandestina Praxi aliqua uulgus abducatur, atq; conductores eò citius deprehendantur. Status item singuli in suis terris ac ditionibus curam gerant, prouisionemq; faciant, ut caupones & tabernarij, hospites item quoquo tempore Præfectis & Magistratui indicent, atq; significant, quemnam hospitio recipiant, ac in diuersorium admittant.

Cumq; cautio & repressio dictorum factorum ac punibilium actuum gregalium concurrentium militum, & uagantium mercenariarumq; copiarum & cohortium, pia, Christiana, & commendabilis res sit, quilibet etiam Magistratus ex officio à Deo sibi imposito, teneatur & obligetur istuc ipsum prouehere, adiuuare, ac promouere. Idcirco ob id coniuncti Status, eiusmodi munus atq; officium, præcipuè ac maximè sibi curæ esse uelint, diligenter atq; fideliter, nec aliter eius sollicitudine affici teneriq; ac si ipsius res propria agatur, suorumq; subiectorum, quemadmodum ex enumeratis causis & rationibus, etiam singulorum subiectorum res causaq; existit, & munus delegatum officiumq; concernit.

Proinde quum hæc communi ac publicè promulgatæ Cæsareæ Maiestatis pacificationi conformia sint, Romanæ item Regiæ Maiestatis edictis atq; mandatis publicatis expressè consona: omnibus quoq; & singulis Statibus Imperij seuerè iuxta ac grauiter præcepta iniunctaq;, nimirum ut ei, qui per gregales concurrentes, uagabundas copias, seu gregales milites, siue equestres, siue pedestres cohortes grauètur, à uicinioribus & propinquieribus magistratibus initio præsidium atq; defensio præstetur præbeaturnq;. Potest item ac debet is Status, qui auxilio indiget, alios quoq; uiciniores Status, seu ordines Imperij, etiam si non ista unione complectantur, talium Cæsareæ ac Regiæ Maiestatis edictorum & mandatorum uim atq; tenorem in memoriam reuocare, eosq; pro adiuuamento, subsidio, præsidio atq; auxilio præstando requirere, & implorare. Si qua uerò factio, concursus, aut congregatio in alterius quoq; principis Electoris, uel etiam status cuiuspiam extra hanc unionem, citrà uel suprâ, hæc uel illac flumen Rhenum, aut Albim concitetur, uel exoritur, debent utiq; principes, ductores, & capitanei, ultrò suaq; sponte, ac sui Circi nomine, illi Electori, principi, aut statui scribere, eiq; communis pacificationis Imperatoris & Regiæ Maiestatis edicta & mandata in memoriam reuocare, ac petere factionem illam, concursum & congregationem militarem abigendam ac reprimendam fore: quod si non factum fuerit, & unioni ordinisq; huic damnum aliquod inde emerferit, contigeritue, id damnum se ab illo suisq; repetituros & exacturos esse, ut qui eius occasionem dedisset. Quòd si autem milites in Cæsareæ Maiestatis, Domini & Imperatoris nostri clementissimi hæreditarijs, ac alijs suæ Maiestatis regionibus, terris ac ditionibus prædicto modo conscriberentur aut congregarentur, ex tunc quidem principes, ductores & capitanei ad ipsam Cæsaream Maiestatem, decenter, prout ipsimet sciunt ac norunt, scribere ac precari debent, pro difficultatibus & grauaminibus eiusmodi auertendis & amouendis: Principes uerò ac capitanei delecti dictorum trium circulorum sunt, uidelicet, Superioris Saxonici Circuli, Princeps Elector Saxonis, Inferioris Saxonici circuli, Rex Daniæ, & Vuestphalici circuli, Episcopus Monasteriensis. In hac prædicta unione ac concione, subscripti consiliarij & legati nomine suorum gratiosissimorum principum, gratiosorum dominorum ac Magistratum conuenerunt ad consultandum, occurrendum & auertendum illud malum, atq; incommodum, ex tumultuantium & concurrentium militum conuentibus & factionibus emergens. Hanc uerò deliberationem à Dominis ipsorum approbatam & acceptam, fideliter obseruandam fore existimauerunt, eamq; unionem & concordiam quadriennio post datum ualere atq; persistere uoluerunt. Quamquã autem & hic de certa contributione mentio facta est, quanta ui ac robore singulæ unionis huius atq; concordie partes seu membra in necessitate ad equestrem pariter & pedestrem militiam



militiam conferre ac subministrare debeant. Attamen quum in mandatis quorundam legatorum seu nunciorum defectus compertus esset, res ea nunc peragi absoluiq; tota minimè potuit. Eò tamen consensum atque conuentum est, ut superpetiæ, auxiliaq; iuxta cuiusq; conditionem, qualitatem, facultatem, ac uicinitatis inclinationem & affectum, item ad cauendum cuiusq; priuatum incommodum & damnum, interpellati ac requisiti ferant, & quisque Status alteri in suo circo tempore necessitatis cogente subuenire & auxilia præstare debeat. Quò autem in singulis quibusque circis certitudo aliqua unius Status erga alium in necessitate præstandi auxiliij sciatur habeaturq;, debent Status cuiusque circi die Lunæ post Dominicam Palmarum, uidelicet superioris Saxoniae circi Mulhufij, inferioris Saxonici, Lunæburgæ, & Vuestphalici circi Monasterij conuenire ac congregari. Vbi tandem ac finaliter de auxilijs præstandis mittendisq; inuicem ac mutuo, in milite iuxta ac pecunia alter circus alteri, uicisitudine obseruata, constituendum erit: qua de re principes postea scripto suam sententiam declarent, unitate ac puritate reperta, ad quam quisque principum ac capitaneorum dictorum duos primarios sui circi deputet, quorum consilio agere debet.

Quòd si quis Circi Princeps & Capitaneus ante quoque diem illam dictam Palmarum sui circi Status conuocare uellet, id arbitratu suo facere poterit. Si qua item contingat medio tempore huius conuentionis, ut circus circum pro auxilio ferendo, ut supra dictum est, interpellaret ac requireret, debent Status requisiti auxilio indigenti maturè subuenire, suppetiasq; ferre, quanta ui, quantoq; robore pro sua facultate, qualitate & conditione possit, uelutq; sua fides ipsum admonebit & hortabitur, seq; in eo sic exhibebit promptum ac beneuolum, ut eius mens animusq; ad eiusmodi pium & Christianum opus, & defensionem grauari Circi statusq; agnosci perspiciq; possit. Sunt autem sequentium consiliariorum, qui hanc concordiam, conuentionem, ac constitutionem seu Recessum fecerunt, nomina & cognomina hæc: pro parte, loco ac nomine Regis Daniæ, Balthasar Clamor, Licentiatus, ac Lunæburgensis Cancellarius: & Ioannes à Berninkau. Nomine Archiepiscopi ac Principis Electoris Colonienfis, Hermannus à Vermurth, Præfectus in Dringenberg, & Georgius Schorn Licentiatus. Nomine & loco principis Electoris Saxoniae, Georgius nobilis à Planitz. Nomine ac loco Archiepiscopi Bremensis, & Administratoris in Verden, Bernhardus à Cram, Marschalcus. Nomine ac mandato, locoq; Episcopi Monasteriensis, Osnabrugensis, & Mindensis, Iustinus Goblerus Doctor, & Cancellarius, Nomine ac loco Landgrauij Hesiæ, Vuilhelmus à Schachten, Nomine Comitis Conradi à Teckelnburg, Ioannes Mensing Secretarius. Nomine Comitis Antonij ab Oldenburg, Hermannus Lasterpage. Nomine Comitis Arnoldi à Benthem & Steinfort, Godhardus à Beuern, & dominus Ioannes à Leyen. Ciuitatum nomine, utpotè Bremensis, Dominus Theodoricus à Mandelsloe, & Iodocus Gercken Secretarius. Nomine Goslaræ, Ioannes Cocus Secretarius. Nomine Braunsuigæ, Hermannus Veihelt, Ioannes Vuild, & Theodoricus Preufs, cum mandato Ciuitatis Magdeburgensis. Nomine Ciuitatis Hildesheym. Magister ciuium, Thilo Brandus. Ioannes Bruno Syndicus, & Ebertus Vuinckelman, Magister equestris. Nomine Hannoueræ, uterque ciuium Magistri, Antonius Berghusen, Henricus Bernhauer & Casparus Bodecker, Secretarius. Nomine Mindensis Ciuitatis, Henricus Pfeyl, & Matthias Meyer, Secretarius. Catalogus uerò & nomina consiliariorum ac legatorum Principum, Ducum, ac Comitum, &c. uidelicet, nomine ac loco Ducis Erici à Brunsuig & Lunæburg, Burchardus à Salder, Iodocus à Lenthen, & Henricus Lurleberg, Reddituarius. Nomine & loco Ducis Iuliacensis & Cleuensis, &c. Ioannes à Meschede, armorum seu Artelarij magister. Nomine & loco Ducis Lunæburgensis, eiusq; cõsiliariorum, Balthasar Clamor, Licentiatus & Cancellarius. Nomine Comitis Iodoci à Brumhorst,



horst, prædicti Comitis Bernhardi nunciij petierunt notulam seu formulam huius unionis & concordia sibi dari, & concedi dominis & magistratui suo offerendi, ea mente, spe ac animo, cum esset pium, Christianum, necessarium iuxta ac laudabile opus, quod ad id iuste ac debite responsuri sint, & Romanæ Cæsareæ ac Regiæ Maiestatis publicatis edictis & mandatis obedienter parituri ac obsequuturi sint. Quisq; autem dictorum dominorum ac Statuum, an huic unioni & conventioni adherere uelit, intra Mensis spacium, post datum, se declarare debet. Ducis Erici à Brunswig mandatarij & consiliarij suam sententiam ac uoluntatem ad Cellas: Vrbs Lubecensis, Regi Daniæ ad Segenburgum, Dux uerò Iuliacensis, & Comes à Brumhorst, Episcopo Monasteriensis: ac ciuitas Gottingensis, principi Electori Saxoniae, per scripta significare debent. Quis status tunc unioni consentire & adherere uoluerit, idem quoq; prædictam Circi diem statutam, pro eadem memorata necessitate, cum pleno mandato inuisat ac uisitet. Postquam uerò proximo Francoforti conuentu sic recessum est, ut cum quibusdam ciuitatibus se huic concordia coniungendis agatur, id quantum necdum fuerit effectum aut transactum, porro maturè expediatur. Dabunt quoq; operam primores circulorum, ac alij Status, ut si qui alij forte istic nominati non sint, sese adiungant: præcipuè uerò Elector Saxoniae, cum Duce Philippo Pomeraniae eadem de re causaq; pertractet: quo facto idem Dux Philippus dein cum Duce Bermino Pomeraniae quoq; peragat. Horum omnium testimonio, maioriq; securitate, sunt terni recessus facti, cum signetis huius concordia & unionis sigillati ac confirmati, & legatis dictorum Circulorum, primoribus ducibus seu capitaneis, unum autographum, seu eius copia tradita fuit. Actum Hannouerae die Lunæ post Dominicam Esto mihi, Anno Domini 1546.

Post hæc sequitur partitio trium Circulorum, Superioris Saxonie circuli, Elector Saxoniae, Landgrauus Helsingiae, Dux Philippus à Brunswig, Comes à Vualdeck, Comes à Lupia. Ciuitates, Goslaria, Gottinga. Inferioris Saxonie Circi, Rex Daniæ, Archiepiscopus Bremensis & Verdensis, Dux Ericus à Brunswig, Dux Lunaburgensis. Prouincia seu ditio Brunswigenensis, in qua Vuolffenbutel arx sita est. Comites à Schauenburg, ab Hoya, ab Oldenburg. Ciuitates, Lubecum, Hamburgum, Braunsuigum, Magdeburgum, Hildeshemium, Hannouera. Vuestphaliae circulus, Archiepiscopus & princeps Elector Colonienensis, Episcopi, Paderbornensis, Osnabrugensis, Monasteriensis & Mindensis. Dux Iuliacensis, Cleuensis, & Bergensis, Comites Orientalis Phrysiæ, Teckelnburgi, Bentheim, Steynfurt, Brunkforst, Diepholt, Rittberg, Domina in Geuer.

Cæterum agit Diuus Carolus Quintus Imperator noster de his uagabundis militibus & equitibus, eorumq; concursionibus & congregationibus prohibitis, in sua pacis publicæ constitutione, cap. 24. & 25. folio 196. & 197. Ac extat nostra in uagos grassatores oratio & querela, ad reprimendum eos, ad eundem Carolum V. adiuncto carmine Elegiaco, folio 266 & 267. &c. Generalis autem & memoratu digna constitutio extat Diui Imperatoris Leonis Augusti septuagesima, de grassationibus, ubi ait: Quos communitio in unam aliquam eandemq; conditionem coniungit, inter hos communes etiam animos esse ubiq; uideas. Ita in negotiationibus socij lucrum damnumq; æqualiter inter se partiuntur: ita itinerum comites, cum fortuito in rem aliquam incidunt: tamen si sæpe uno illum momento pariter non conspiciant, eius tamē inter se ius cōmunicant. Ita uerò & cōmilitones, licet omnes non pari studio & impetu in hostem ferantur, attamen uictoriae palmā ex æquo auferunt. Quapropter etiam, ut qui malitioso consensu coitione facta, rem aliquam, in quam à lege pœna cōstituta est, inceptant, ut potè si raptus committatur, uel parricidum, alteriusue cuiuspiam cedes perpetretur, ut l. 6. & 7. C. de raptu uirg. & ff. ad l. Pomp. de parricid. Quanquam non omnes tantundem momenti & operis re peragenda conferant, eandem tamen pœnam sustineant, sanè quàm rectè ueteri Legislatori placuit. Et nos quoque idcirco, quæ de his, qui simul & communiter latrocinandi animo homines inuadunt, iam olim sancita sunt, approbantes, statuimus, uti omnes, quot-



quocumque fuerint, eodem supplicio afficiantur, tametsi parem operam rei perpetranda non omnes adhibuerint, ut uidere est in l. 18. Grassatores & famulos. ff. de pœnis. Non enim si quis ipse manus inferenda neci non admouerit, continuo insons, & à pœna immunis esse potest. Quid enim si pressis ipse manibus, alterius tamen dextram ad eadem intenderit, atq; confirmarit? Sanè quòd manus homicida, à cõmuni peruersitate instigata, rem aggressa sit constat. Nam nisi aliorum manus huic in subsidium præstò fuissent, non certè ita promptè homicidiũ perpetrasset. Ac propterea (quemadmodum dictum est) quanquam uno cuiuspiam ictu (quod fieri potest) mors illata fuerit, aliorumq; manus suppetias non tulerint, ut eandem tamen omnes pœnam sustineant decernimus. Porro extat de militibus Diui Imperatoris Iustiniani constitutio centesima decima sexta, in hæc uerba, Haloandro interprete: Post Domini Dei benevolentiam, subditorum nostrorum securitas in militarium rerum administratione & disciplina consistit. His enim prouidentia Dei constitutis, rectèq; consociatis, & barbarorum petulantia frenum iniicitur, & ad publicum pertinentes res augetur. Quoniam igitur pleriq; nullam salutis suæ rationem habentes, milites & fœderatos, qui pro libertate Reipublicæ cõtra hostes decertare debent, præsumunt subtrahere, & exinde in priuatis occupatos tenere usibus, uisum nobis est per præsentem nostram legem in commune omnibus interdicerè, ne quis de cætero militem, in quibuscunq; recensetur numeris, aut fœderatũ, circa quos tam multos nos labores illis exercendis agendisq; delectibus sustinemus, ut publicis eos usibus utiles præbeamus, subtrahere, domi uel suæ, aut in proprijs possessionibus habere audeat. Nouerint igitur omnes, quicumq; milites aut fœderatos aliquos in domibus suis, aut possessionibus qualitercunq; detinentes, & priuatis aliquibus illorum usibus inseruientes detinent, quòd nisi intra triginta dierum spacium à præsentis nostræ formulæ & dispositionis ibi locorum insinuatione numerandorum, hos abegerint, tam facultates ipsorum, qui eos habent aut detinent, publicationi subiectæ, addicentur ærario, quàm ipsi dignitatibus, & militijs, quas habent, depellentur. Et milites ac fœderati, qui post præfinitum tempus apud hos permanent, non solum spoliabuntur cingulo, sed etiam extrema sufferent supplicia. Scituris etiam uniuscuiusq; provinciae præsidibus, quòd si qui inuenti fuerint, qui in locis ipsorum moderamini subiectis uel procuratoribus aliquibus, uel personis, uel domibus, uel dominis, uel possessionibus, uel quibuscunq; priuatis usibus assideant, neq; festinanter eos præhenderint, & supplicijs subiecerint: & milites quidè ad suos numeros, in quibus militat, fœderatos uerò ad optiones suas transmiserint, et denarum ab ipsis librarum auri pœna exigetur, & insuper tradentur exilio, ut qui iussiones nostras negligere præsumpserint. Nemo igitur aut sacra aliqua de hoc (ut potest fieri) comparata forma, iussionibus uel magistratuũ utatur, aut huiusmodi aliquas formas, magistratuũ uel iussiones suscipiat, sed cũ summa celeritate, tam milites ad suos numeros, quàm fœderati ad optiones suas reuertantur, & pro Republica decertent. Nullo enim modo concedimus, ut milites aut fœderati nostri in ullis omnino priuatis usibus teneantur occupati. Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc præsentem declarantur legem, ea cognoscens excellentia tua tam in hac alma urbe propositis edictis, quàm in provincias destinatis iussionibus omnibus manifesta facere studeto. Dat. quinto Idus April. Bolif. V. C. consul.

Sequitur alia Diui Imperatoris Augusti constitutio ceteresima tricesima, de transitu militum, Georgio Haloandro Interprete: Præcipuã, multoq; maximã Reipublicæ nostræ conciliationem in hoc consistere arbitramur, si qua noster transitus exercitus, ut ibi citra omnem alatur querimoniam, & incolumitas atq; indemnitas nostris conferuetur collatoribus. Inde ad eò iubemus, ut quotiescunq; transitus fit nostrorum ducum & exercituum, delegatores comitentur eos, qui militarium alimentorum curam gerant. Singularum uerò provinciarum præsides, per quas transitus fit, in parato habeant, unde expensæ fieri possint, ut in quaq; provincia exercitus noster cùm transit, citra querelam alatur. Et cuiusq; ordinis optiones rem species absq; ulla distractione suscipiant, & annonas, quæ suppeditantur in specie, erogent in præfectos legionum & milites, quam etiam ipsi deputatam



sibi solacij occasionem habeant decimam quintam partem. De his etiam, quæ ab ipsis expenduntur, optiones collatoribus solita recauta faciant, periculo eorum, qui cum ipsis sunt, præfectorum legionis, & tribunorum, comitum, & prouisorum exercitus, ac delegatorum, & cuiusq; ordinis primatum, Neq; ullo modo milites apud collatores nostros gratis sumptus faciant, siue occasione eius quod (ut fieri potest) nihil in parato habeatur, siue introituum nomine, quorum penitus ipsam etiã appellationē tollimus, quo magis ex omni parte collatores nostros illos, indemnesq; conseruemus. Eas etiam species tantummodo, quæ in singulis reperiuntur locis, milites capiant, neq; alias requirant, quæ in ea prouincia non reperiuntur, & distorsionem atq; damnum nostris inferant collatoribus. Qui uero sumptus à possessoribus in milites factus est, & per recauta declaratur: iubemus ut à throno excellentiæ tuæ sine ulla distorsione, damno, aut uastro commento, in contributionem ab ipsis publico inferendam illius indictionis reputetur, in qua is sumptus factus est. Quòd si plures species, quàm ab his, qui eas dederunt, contribui solent, deprehendantur in sumptu, iubemus ut ex uniuerso publicorum eius prouinciæ tributorum corpore his qui ultra propriæ contributionis modum sumptus fecerunt, satisfiat. Si ea uerò prouincia tantum publicorum tributorum non habeat, quantum ad sumptum factum sufficiat, uel his qui eum sumptum fecerunt, satisfiat à generali mensa, quæ ab excellentia tua gubernat: uel ea ex his quæ sequente ab his indictione contribuuntur, ipsi sibi retineant, & ab his qui publica tributa persoluant, omni ipsis modo repetentur. His omnibus præcedentibus et obseruandis periculo gloriæ tuæ, & cuiusq; prouinciæ tractatorum, neq; non præsidum & obtemperantium ipsis cohortium, susceptorum quoq; & decurionum, et omnibus qui publica tractant tributa. Sed & hoc obseruari iubemus, ne quisquã aut ex præfectis legionum aut militibus uel ab urbibus, uel prædijs occasione transitus, per concussionem exactæ aliquid pecuniæ percipiat. Si quis uerò deprehensus fuerit, qui per concussionem exactæ aliquid pecuniæ perceperit: iubemus ut ab eo qui tale aliquid perpetrat, duplum omnino eius quod per hoc accipere ausus fuerit, exigatur. Si qui uerò ex nostrarum legionum præfectis, aut exercitibus, aut optionibus eorum de facto, ab ipsis sumpta recauta non composuerint: iubemus, ut collatores qui sumptum suppeditauerunt, actorum monumenta confici procurent, si quidem præses in his locis inuenitur fuerit, coram ipso & religiosissimo ciuitatis Episcopo, aut defensore locorum, in quibus possessio sita est, unde sumptus factus est: perq; eam monumentorum confessionem manifestum reddat, & qui nostrorum ducum, aut cum quo exercitu transitum faciētes, recauta non composuerint, & quam magnam summam insumpserint. Atq; hoc genus actorum transmittat ad tuam gloriã, & gloria tua, pinde quasi recauta sint composita, tam ipsis collatoribus (quemadmodum superius diximus) sumptum, ab ipsis factum uel præstet, uel reputet: quæ ex his quæ ex tributis publicis legionum præfectis et militibus, qui sumptus fecerunt, delegantur, eam quantitatem, quæ per actorum confessionem declaratur, retineat. Ad hæc iubemus, ut nostrorum legionum præfecti, siue etiã conseruatores exercitus, & delegatores, cum transitus fiunt, antea in illum locum, ubi exercitus noster debet occurrere, mittant, & infumenda præparent: neq; ad alias urbes, aut possessiones, aut prædia mittant, quasi necesse habeat illic manere exercitus, perq; hæc causam à possessionibus ac prædijs extorqueant pecunias. Quod si quis eo nomine aliquid ausus fuerit accipere: iubemus ut eo quoq; modo prædicta actorum monumenta conficiantur, quæ declarent & quid datum, & cui quidq; datum sit: neq; non, quod superius à nobis modo dictum est, tam damno affectis à gloria tua reputentur omnia, quæ per huiusmodi actorum confessionem declarata fuerint: quam legionum præfecti, & qui quocumq; modo exercitum nostrum conseruant, & delegatores in duplum quantitatem eorum, quæ accipere per hanc causam præsumpserint, reddant: præmetatoresq; tormenta iuxta & exilium sustineant. Porro si qui ex prouinciarum præsidibus nonnunquam cum exercitus nostri prouisoribus conspirantes, sumptus non præparauerint, & per hoc in diuersas hosce urbes & loca perduxerint. Iubemus ut tales magistratu abdicati, cum obtemperantibus sibi cohortibus publicationi bonorum & exilio subiciantur: nostri uerò collatores sic quoq; indemnes conseruentur, uel ex datis recautis, uel exactorum monumentis, quæ prædicto debent modo confici. Hæc causa



tem custodiri præcipimus, non solum in transitu nostrorum ducum & militum, sed & aliorum, qui ex quacunque gente ad auxiliũ nostrã à nobis mittuntur Reipublicæ, ut neque per metatorum præbitionem contumelijs afficiatur collatorum nostrorum libertas. Sancimus item, ut nemini omnino nostrorum militum liceat metata sibi in primarijs habitationibus desumere, in quibus ædium domini habitare deprehenduntur: sed illæ quidem dominis suis conferuentur omni molestia & inquietudine liberæ. Milites uerò in alijs sibi cœnaculis metata desumant. Quæ igitur nobis placuerunt, & per præsentem declarantur legem, ea tam in urbe regia, quàm gloriosissimis locorum Episcopis, & clarissimis prouinciarum præsidibus, neque non omnibus nostris, in quacunque prouincia & urbe collatoribus, excellentia tua manifesta constituito: ut collatores nostris sciant, quæ pro incolũ mirate ipsorum à nobis disposita sunt: & cognoscant, quòd si hæc contra factum aliquid fuerit, & qui iniuria afficiuntur, silentio admissum tradiderint, ipsi eiusmodi damni auctores existent. Dat. Calend. Mart. Constantinopoli. Dn. Iust. P. P. Augu. Basilio V. C. Conf.

Huc uidetur quoque multum facere Diui Imperatoris Iustiniani constitutio centesima sexagesima quinta, cuius inscriptio seu titulus est, Vt nullam de cætero licentiam dux aliquis, aut cohibendis uolentijs præpositus habeat ad utramque Phrygiam accedendi, aut aliquos ipsis coniunctos eò dirigendi, ut quosdam comprehendant. Sed neque earum prouinciarum incolæ ad eos, qui tales magistratus in Lycaonia & item Lydia gerunt, decurrant: apudque ipsos contra aliquos querelam instituant, cum ciuiles magistratus abundè sufficiant ad huiusmodi emergentes casus persequendos. Nec præter rationem est consilium, quòd Isocrates grauissimus orator Regi Philippo Macedonum dat de ducendis colonijs uagis militibus, passim propter inopiam rerum necessariarum uagantibus, & omnia quocunque uenerint deuastantibus. Qui (inquit) nisi coacti in unum locum coherceantur, & quæ ad uitam sunt necessaria habuerint, paulatim nobis non aduertentibus ita crescent, uti non minus Græcis, hoc est, amicis, quàm barbaris, uidelicet exteris & hostibus formidabiles sint futuri, &c. Extat de ea re locus elegans in oratione de concordia domi constituenda, & bello transferendo in Asiam, contra barbaros.

*In Caput Octauum Politia Imperatoris Annotationes  
Doctõris Iustini Gobleri.*



**B**RIETATEM, comotationes, comestationes, & helluationes hoc capite Cæsar perstringit & damnat: est enim hoc uitium reprehensioni dignum, & ab omnibus sanis hominibus præcipuè uitandum & fugiendum, ex quo tot tantaque mala oriuntur, quorum aliqua hoc loco recensentur, & quidẽ eorum pars minima: quis enim omnia enumeraret? Dies me deficeret, si uel saltem genera, non species, referre conarer. Errat igitur, qui ebrietatis crimen paruũ esse existimat, cum, quod tot tantaque uitia & scelera secum trahit, nempe blasphemias, execrationes, maledicta, criminationes, calumnias, periuria, deierationes, homicidia, cædes, adulteria, fornicationes, & cætera flagitia, propter quæ ira Dei excitatur in homines: tum, quòd talia perpetrantes, dicente Apostolo Paulo, inter quæ delicta ebrietatum quoque connumerat, regnum Dei non consequentur, aut possidebunt. Ac uerè dicitur, Ebrietatem omnium uitiorum fomitem & nutricem esse, ab omnibus, sanis hominibus maxime, tanquam pestem cauendam, atque uitandam: ex qua iurgia, rixæ, contentiones, tumultus, & quid non malorum, ut diximus, sequuntur. Ad hoc ebrietatem nihil aliud esse ait Seneca, quàm uoluntariam insaniam, & ut Pythagoras dixit, τὴν μέθυ μανίας εἶναι μελέτην. Hoc est, Ebrietatẽ insaniam meditationẽ esse, si qua modò in ebriosis aliqua frugi meditatio est. Cerrè eruit excitatque omne uitium ebrietas, & incedit & detegit: econtrà obstante alioquã malis, ppositis et conatib. uerecundiã omnẽ abigit ac remouet: plures enim quãdoque pudore



pudore peccandi, quàm spontanea uoluntate prohibitis uitijis atq; sceleribus ab-  
 itinēt. Vbi uerò *ἡ μέθυσμα, ἢ λαίμασσία*, hoc est, ebrietas & helluatio, a deo q; nimia  
 uis uini, possedit animum hominis, quicquid mali latebat emergit: ut & Plato tes-  
 tatur, *καὶ δὲ φησὶν ἐν οἴνω τὰ ἦθη, ἢ τὰς κακὰς διανοίας φανεραὶς γίνεσθαι*, nimirum  
 animi mores, & prauas cogitationes in uino apparere. Sic ut uerè quoq; Flaccus  
 exclamat: Quid non ebrietas designat? operta recludit, Spes iubet esse ratas, in  
 praelia trudit inermem. Sollicitis animis timorem eximit, &c. Non facit quidem  
 uinum uitium, sed ebrietas, & est culpa bibentis uinum immoderatè. *ἐν πυρὶ μὲν  
 χρυσόν τε καὶ ἀργυρον ἴσθους ἀνθρώπος γινώσκουσ', ἀνθρώπος δὲ οἶνος ἔδειξεν ὄον*, inquit The-  
 ognis, nempe igne aurum & argentum uiri periti dignoscunt, at qui uino homi-  
 nis mens animusq; arguitur. Ebrius enim libidinolosus & impudicus, tunc mor-  
 bum suum profitetur ac publicat: petulans non linguam, non manum continet.  
 Crescit insolenti superbia, crudelitas saeuo: liuido malignitas, atq; omne uitium  
 ebrii detegitur, & prodit. Adijce illum (inquit Seneca) ignoratione sui dubia, et  
 parum explanata uerba, incertos oculos, gradum errantem, uertiginem capitis,  
 tecta ipsa mobilia, uelut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi  
 tormenta, cum efferuefcit merum, ac uiscera ipsa distendit, tunc tamen utrumq;  
 tolerabile est, dum illis uis sua est. Quid, cum somno uitiatur, & quæ ebrietas fuit,  
 cruditas facta est? Cogita quas clades ediderit publicas, ebrietas? hæc acerrimas  
 gentes bellicosasq; hostibus tradidit. Hæc multorum annorum pertinacia bel-  
 lo defensa incenia patefecit: hæc contumacissimos, & iugum recusantes in alie-  
 num egit arbitrium, hæc inuictas acies mero domuit: Alexandrum Macedonem  
 tot itinera, tot praelia, tot hyemes, per quas uicta temporum locorumq; difficul-  
 tate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, at in-  
 temperantia bibendi, & ille Herculeus ac fatalis cyphus confecit. Quæ (quæ  
 fo) gloria est capere multū? cum penes te palma fuerit, cum omnes uiceris uirtute  
 illa potandi scilicet magnifica, & nemo tam uini capax fuerit, uinceris tamen à do-  
 lio. Marcum Antonium magnum uirum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit,  
 et in externos mores & uitia non Romana traiecit, quàm ebrietas? nec minor ui-  
 no Cleopatrarum amor. Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis impa-  
 rem fecit, hæc crudelem reddidit, cum capita principum ciuitatis cœnanti refer-  
 rentur, cum inter apparatusissimas epulas, luxusq; regales, ora ac manus recogno-  
 sceret cum uino grauis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat, quod ebrius  
 faciebat, si sobrius faceret, quanto intolerabilius, quod hæc ipsa in ebrietate facie-  
 bat? ferè uinolentiam crudelitas sequitur. Villatur enim, exasperaturq; sanitas  
 mentis, quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi etiam ad mini-  
 mam radij solis offensionem, ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cum  
 sæpe apud se non sunt consuetudine infame durata, uitia uino concepta, etiam si  
 ne illo ualent. Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri? deformitatem rei  
 et importunitatem, ostende rebus, non uerbis, quod facilimum est. Etenim Py-  
 thagoras consultus, quinam uinosus ebrietatē desereret, respondit, *εἰ σωηχῶς  
 θεωροῖν τὰ ὑπ' αὐτοῦ πρασομένα*, hoc est, si quæ per temulentiam facit, frequens ani-  
 mo uoluar: alius respondit, si quis ebriosorum mores inspiciat, quemadmodum  
 Anacharsis dixit, *εἰ δὲ ἄνθρωπος μεθύοντάς διαποιούσῃ*. Et homines enim, ut Muso-  
 nius ait, liguritores & helluones, in sues aut canes per ingluuiem transformantur,  
 omnis honestatis in gestibus, uisu, usuq; oblitos. Quemadmodum hodie appa-  
 ret palam passimq; in gregarijs & alijs militibus nostratibus, uino & ebrietate  
 uelut furij percitis. Quid autē turpius, quæso, quàm ita se præstare circa uinū et  
 cupedias, ut bruti potius animalis, quàm fani hominis imago fit? Est igitur ebrie-  
 tas uelut uoluntarius furor, quemadmodum sapiens pronunciauit Cato, quæ  
 non tantum sensus hebetat, uerum etiam totum hominem continua ingurgitati-  
 one subuertit. Quamobrem ebriosus non sunt res seriæ aut arduæ committen-  
 dæ, ceu diuinus commemorat Plato, *μυθύων κυβερνήτης, καὶ πᾶς πάντος ἀρχων, ἐνα-  
 τρέπει πάντα, εἴτε πλοῖον, εἴτε ἄρμα, εἴτε στρατόπεδον*, εἴτε ὅτι ποτὲ ἐν τῷ κυβερνώμενῳ  
 ἐπ' αὐτοῦ. Hoc est, Gubernator ebriosus, & qui uis cuiusq; rei præfectus, omnia  
 subuertit, siue nauigium, siue currum, siue exercitum, siue quamcunq; rem fidei

Ex Seneca  
 refert Lud.  
 Cælius Rho-  
 dignus li-  
 bro lectio-  
 num anti-  
 quarum 28  
 cap. 30.



fue cōmissam. Solon Atheniensium Legislator, & unus ē septem sapiētibus, morte principē esse mulctandum lege sanxit, si deprehenderetur ebrius. Et Pittacus Mytilenæus, ebrios, cū peccarent, duplici dignos p̄cena statuit. Et est inter ueteres sanctorū Apostolorū regulas hic Canon quoq; 41. *Επίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κύβεις σχολάζων καὶ μέθαις, ἢ παυσάδω, ἢ καθαιρείδω.* Hoc est: Episcopus aut Presbyter, aut diaconus, qui uel aleæ, uel ebrietatibus indulget, uel desinito, uel deponitor. Sanctè quoq; diuus Paul. Apost. in Epist. ad Roman. cap. 13. præcepit, inquit, ἀποδώμεθα δὴν τὰ ἔργα τοῦ σκοτους, καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὄπλα τοῦ φωτός, ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ θυλῶ. Id est: Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, utin die compositè ambulemus, non comessationibus et ebrietatibus, non cubilibus ac lasciujs, non contentione & æmulatione. Vbi expressè Apost. comessationes et ebrietates prohibet, quas opera noctis et tenebrarum appellat. Qui etiam ebrii sunt, noctu ebrii sunt. Sepe etiā, ut apud Germanos, fit interdiu, & eas comessationes & ebrietates uocant conuiuia, sodalitates, banquetas, & hilaritates, quæ se quandoq; in mediam, multamq; noctem extendunt, maximè apud milites strenuos illos potatores, qui poculis & ingurgitationibus concertare etiam solent, ac laudi sibi dicunt, si plurimos calices exhausserint, & mutua bibacitate se & uoracitate quasi confoderint. Hoc etiam militaris uirtutis esse putantes. *ὁ δὲ ἀνδρῶν πολὺ πλεῖστον ἐν εἰλαπίνῃ μέθυ πίνῃ ἐν καὶ ὑπεραμείνω.* ἀμα τ' ἄλλον φῶτα κελεύει. Persuasum omnino habentes, hoc esse strenuū ac militare, adeoq; etiam nobilibus maximè conuenire, atq; decere, inter epulas fortem se helluonem præstare, non minus quàm eum, qui in bello alacriter pugnat atq; conflixerit, & Martem animosè exceperit. Veruntamen à diuo Paulo eiusmodi conuiuia, comessationes & ebrietates prohibentur, quòd sint maximorum delictorum occasiones, non tantum ob id, quòd illa conuiuia & comessationes sæpe uno die absumunt, quod in multos sufficeret menses: sed & corpus mentemq; plurimū offendant lædantq; ut suprā memoratū est: & ille apud Comicū ait, ut neq; pes neque mens suum officium rectè facere possit. Post illas etiam comessationes crebras, profusiones, & prodigalitates à magnatibus & potentibus noua onera & grauamina nouaq; actiones, miseræ plebeculæ ac populo iniunguntur, aliaq; super alia uectigalia excogitantur, quibus subiecti exhauriuntur. Institores quoq; & uulgus semper noua propolia, nouasq; imposturas querunt in annona aggrauanda & expilanda mercimonia fori. Quid enim propolæ & monopolia aliud sunt, quàm tacitæ & clandestinæ exactiones et expilationes rerū cōmunium ad uitā sustentandam necessariarū: de quibus infrā suo loco tractabimus. Cæterum hic nobis de comessationibus & ebrietatibus cōcionatur Apost. Paul. cui ad stipulatur Cæsar in præsentī constitutione, qua fauerè prohibet talia cōuiuia, imò uitia & cōuitia, quandoquidem, Salomone grauissimo & sapiētissimo autore, res est fœda & tu multuosa ebrietas, quæ & uecordes homines & subsannatores, & cōtemptores Dei facit, ut liquet ex Matthæo cap. 24. de seruo malo perpotante cum ebriosis, ad quos inquit, Morā facit dominus, quasi diceret: absente domino iucundè nūc uiuamus, & indulgeamus genio: quæ uox est prorsus securi hominis & cōtemnētis iudiciū Dei. Quod Salomon appellat subsannare, & iudicium Dei irridere atq; cōtemnere, quæ scelera ueniūt ex uino & ebrietate. Quocirca Dominus præcipit Lu. 21. inquit: Cauete ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate. Et Oseæ 4. Fornicatio, & uinū, & ebrietas cor auferunt. Item Salom. Prouer. cap. 24. Eris, inquit, sicut dormiens in medio mari. Quæ sententiæ omnes id agunt, ut moneant, crapulam adducere securitatem, contemptum diuini iudicij, & tanquam somnum quendam, ubi nec pensū habeatur uerbum Dei, nec audiatur, ut Oseas inquit, Sicut uacca lasciuiens declinauit Hierusalem, id est, obruta donis Dei, cœpit lasciuire & contemnere Deum. Iam & rursus Salomon dicit capite 21. Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat uinum & pingua, non ditabitur: nec unquam fiunt opulenti, qui res suas non satis diligenter curant, qui prodigūt & absumunt. Tunc & helluationes, crapulæ & ebrietates adferunt tædium scandendæ suæ uocationis, & efficiunt homines cessatores, & officij sui neglectores.



Reddūt quoq; homines, ut suprà diximus, contemptores uerbi Dei, & stupidos, ad intelligenda opera Dei, ut apud Esaiam cap. 5, inquit: Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad uesperam, ut uino æstuctis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiujs uestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum consideratis. Et ut suprà ex Osea dictum est: Fornicatio, uinum, & ebrietas auferunt cor. & Lucæ 17. de Loth in diebus Noæ: Edebant, bibebant, & reliqua. Ac breuiter, conuiuia illa, quæ Paulus uocat commessationes, exhibent occasiones rixandi, conuiciandi, blasphemandi, & aliorum multorum criminum, quæ certè Christiano homini prorsus sunt uitanda & cauenda, quin & præterea de omnibus Deo ratio reddenda. Quare Paulus ad Ephesios 5, ait: Nolite inebriari uino, in quo est sceditas: quo tanquã crudi & scedi redduntur animi, & ad res spirituales inepti. Præter etiam ea, quòd alio qui tumultuosa res est ebrietas, & quæ in uniuersum de animalibus uentris dici possunt, præsens quoq; crapula carnem inflamat, ita ut ibi locus esse Deo nequeat, æstuate & furente carne. Ideò à Paulo etiam tantoperè prohibetur Ephesijs Christianis, inquiens: Nolite inebriari uino, in quo luxuria seu sceditas est. Et quamuis hinc plurima perniciosæ Ebrietatis uitia & damna commemorare possem, quorum illa est occasio, tamen unum atq; alterum breuiter percensebo ex antiquis historijs, & primùm quidem de pulcherrima Syracusanorum urbe, per ebrietatem Romanis prodita captaq;. Nam cum Marcus Marcellus uideret Syracusas urbem non uine fame capi posse, transfugas Syracusanos in urbem misit, & animos hominũ colloquijs tentare iussit, ac fidem dare, si translata forent Syracusæ, liberos eos, ac suis legibus, uicturos esse. Quidam in piscatoria quadam nauis retibus operti circumuectiq; ad castra Romana, colloctiq; cum transfugis: Postremò, cum iam composita omnia ad prodicionem essent, indicio delato necati omnes, & trucidati sunt, Dein Romanus quidam, ex propinquo murum Syracusanum contemplatus, uel medio cribus scalis fore superabilem collegit. Rem ad Marcellum detulit, cui res non spernenda uisa, sed cum adiri locus non posset, et intentius custodiretur, occasio quærebatur. Hanc obtulit transfuga quidam, nuncians diem festum Dianæ per triduum agi, uino largiùs epulas celebrari, uniuersæ plebi à principibus diuiso. Ergo ubi id temporis uisum, quo die epulatis iam uinoq; satiatis omnibus, principium somni erat, Marcellus scalas adferre iussit. Sic sine strepitu ac tumultu primi euaserunt in murum, secuti ordine alij, qui aut in turribus epulatos aut uino sopitos, ac potu graues comprehensos interfecerunt: deinde signum ex composito, tuba dederunt. Tum non furtim, sed aperte geri res cepta est. Syracusas igitur omnium pulcherrimam urbem Ebrietas prodidit, & Romanis restituit, ut auctor est T. Liuius libro 2. belli Punici. Fortitudo quidem uirtus est eximia, & propter magnas utilitates generi humano data, uidelicet ut in necessitate, in periculis Reipublic. & pro defensione patriæ, certo ordine ac modo iuxta leges dimicemus pro nobis & alijs: nec est petulantia, qualis est grassatorũ. Sed utrumq; est celsi & bene compositi animi, dimicare cum opus est, & cohibere motus animi ruentes sine ordine, & contra leges. Sicut uir fortissimus Achilles, cum ardens ira gladium stringeret, tamen admonitus à Pallade, se repressit. Hæc officia intelligere discant boni principes, magistratus, et ciues, & discernant à uiris fortibus, petulantes, turbulentos, *δρακονδειλους*, grassatores, latrones. Meminerunt maiores nostri, cum Christophorus Comes nobilissimus de Frangipanibus, & Hispanus quidam in aula Maximiliani Imperatoris ex prouocatione certaturi essent, Maximilianum ipsum uenire in

locum constitutum, sæuerè prohibentem hunc furorem, et

utrumq; prehensum domũ reducere, penitus ab-

olita mentione iniuriarum & prouo-

cationis. Arma legibus serui-

ant, ut Reipub. non

priuato fu-

rori.

\*



In Caput nonum Politiae Imperialis Annotationes  
Doct. Iustini Gobleri.



RAEFATVR Cæsar noster hoc loco in uestitus abufum & luxum, quæ res quantum hodie, præsertim in Germania passim non solum ataxias, inordinationis, leuitatis & uanitatatis, uerum etiam damni et dispendij, adeoq; inutilium sumptuum communi patriæ, reiç publicæ adferat, incredibile est, diciç uix potest. Cùm uerò nihil magnificètius sit, quàm auro, gemmis, uel serica, uel bombycina uestiri, quis non arbitretur ac censeat, id genus ornamentorum atq; κεικλιωρ, nõ nisi summos Monarchas, Reges, ac principes decere? Iam

autem quisç & quæç; uulgaris nobilis, Iunckerus & Iunckera, ciuis, mas & femina, tanto uestitum luxui sic indulgent, ut nec facultatum, nec sumptuum ferè habeatur modus uel ratio, donec necessitate ipsa tandem ad abstinentiam & inopiam redigantur, sicubi non in tempore se ipsos ad moderationem aduofaciant. Nam tales superuacui & prodigi sumptus uestimentorum, & luxus nimij, arrodunt, imò expilant non modò plebem & ciuitates populumq; sed etiam exugunt & exhauriunt uniuersam Rempubicã. Quales quæso & quàm diuersæ atq; distinctæ uestitus figuræ? tam congregationum, quàm aliorum militum? quanta libido & luxuria? ut rectè luxum illum & superfluitatem Germanorum militum notasse putetur is, qui totos pannos eis singulis adfinxit gestantibus, quem luxum effusum atq; pudendum uocat Tacitus, Populatorem uerò opum, & disuasorem honesti Claudianus. Cœpit & ciues & rusticos præfectorum militum luxuria, qui uarijs etiam colorum picturis & scissuris hodie luxuriantur. Conferatur nostri temporis uestitus cum ueteri, & dicet quis meritò, quantum mutatus ab illo antiquo. Figuræ & formæ multum diuersæ sunt, etiam in una eademq; regione. Est fateor uerum illud uetus apud Græcos uerbum, νόμος καὶ χώρα, Mos siue lex & regio. Quo dicto admonemur, seruiendū esse & obsecundandum moribus regionis, in qua uersetur. Quemadmodum enim cuiç; genti suæ quædam sunt uiuendi leges et instituta, sic & peculiaris quidam uestitus, ut Germani propè omnibus utuntur, exlicentia magis & libidine, quàm ex decore & ornatu. Toga fuit quondam Romana, & distincta figura ab aliarum gentium uestitu, ut hodie ferè apud nos sunt Sacerdotum, & senatorum uestes, planè diuersæ à militaribus, quæ nunc communiter sunt breues penulæ, uelut quondã seruorū, cursorum, publicanorum, & talismodi generis hominū fuerūt.

Cæterum haud ullus fastus aut luxus uestitus, cibi, uel aliarum rerum sumptuosior profusio aliqua conspicata uel animaduersa est usquam in Cæsare nostro Diuo Carolo V. uel etiã eius fratre, D. Ferdinan. Rege & Cæsare, qui tanti principes & Imperatores decoro saltem ac decenti uestitu contenti fuerunt, superfluitatem ac nimiam profusionem auersantes: quæ modestia & simplicitas profectò in tantis heroibus laudabilis fuit, suo exemplo suos quoq; aulicos & familiares ad tantam modestiam & uerecundiam seu parsimoniam inuitare cupientes. Iam antea quoq; Carolus Quartus Imperator modestiam & humanitatem suam sæpe testatus erat, & præsertim cùm proficisceretur in Italiam, & ab urbibus alijs, tum à toto Senatu Romæ religiofè exciperetur, suam clementiam & benignitatem obuiam uenientibus descendo equo pedes ipse testificatus est. Quid dicam de Carolo V. Imperatore nostro? quem uidi ipse Augustæ Vindellicorum ex militia & expeditione Saxonica super paruo equulo gradario in puluerulento sago urbem cum exercitu ingredi, cuius uirtus militiæ tanta domi forisq; cognita fuit. Sic ait Cornelius Tacitus, Cæsarem Vespasianum non fuisse lautum, nec urbana affluentia uel elegantia excultum, quæ non fastum, non luxum, aut superbiam, sed modestiam, humilitatem, & tolerantiam significant. Quæ uirtutes, si ullæ aliæ, certè principum actiones, uel maximè commendant atq; exornant. Porro aiunt Rudolphum eius nominis quartum Imperatorem, minimè magnifico,

Caligæ nõ  
sunt brachate, ut  
apud ueteres  
Gallos, sed  
diffusissimi  
atque largissimi  
sacci.



fico, sed simplici uestitu contentum fuisse, & modestiam coluisse. Ac si quando cum exercitu proficisceretur, nec haberet in promptu uel ad manum uestes integras, præsertim, si assiduo usu laceratæ essent, non confestim abiecit, sed resarciri iussit, & iterum induit, illisq; utens, in profectioe perrexit, ut suos milites ad similem modestiam & parsimoniam uictus & uestitus inuiraret. Ferunt & Regem Alphonsum uestitu cultuq; corporis moderatissimè usum esse, neq; hac in re multum discrepasse à popularibus suis: Illudq; sæpè numero usurpare consuetum, cupere se moribus & autoritate potius Regem uideri, quàm diademate aut purpura. Quod quidem hoc etiam factò declarauit. Nam, quò aduersus Capuam proficisceretur, & offendisset fortè in itinere agasonem implorantem prætereuntem auxilium, ob id, quòd a sellis sibi prolapsus esset in luto, farre onustus, desiliit ipse Rex equo suo, atq; unà cum agasone bestiam luto cenoq; hærentem subleuauit, tum accurrentes ministri Regis, uestitum exterserunt. Fuit hæc tunc quidè parui momenti res, sed quæ tamen postea nonnullos Campaniæ populos Regi conciliarat. Fertur Henricus Landgrauus Hesiæ princeps, cum modestissimus, tum laudatissimus, haud quaquam fastuoso luxu diffuisse, sed nigra plerunq; lanea ueste contentum fuisse, in pileo suo gestare solitum siphunculum argenteum, qui duabus pennis gallinaceis exornatus esset, quòd uidebatur tãto principi a cheroi maximum ornamentum. Sed ne diu hoc loco moremur, si cui fortè libet de diuersis uestibus ac diuersarum gentium uestium discrimine plura uidere, legat caput decimum octauum libri quinti Genialium dierum Alexandri ab Alexandro, & Lazari Bayfij opusculum de re uestimentaria in l. uestis. ff. de auro & argento legato. Cæterum Diu immortales, quanta hodie sit nouitatis & ineptiarum in uestitu affectatio, non minus indecens quàm turpis, uidemus omnes, quanta leuitas, quanta indignitas, quanta peregrinitas, quanta exorbitantia, quanta uitiositas, quanta proteruitas, quæ corruptela & luxuriosa uitiositas, ad eò etiam infestauit iuuentutem, ut nullis neq; præceptis parentum & maiorum suorum, neq; legibus eorum qui magistratum gerunt, & respublicas gubernant, nec piorum hominũ sermonibus corrigi possit. Quoties enim his nostris temporibus de uestitu luxu & abusu legestam in Comitibus publicis, quàm aliàs per magistratum latæ sunt, ac sedulo dum in publicis cõcionibus prauis illi ac peruersi mores carpuntur? Quàm multi boni & graues uiri quotidie hac de re queruntur, sed tam ea libido ac pestis iuuentutis animos cœpit, tanta eius mali uis est, ut uix reprimi aut sanari possit. Quotidie nouæ habitus ac uestitus formæ excogitantur: nunc placet Gallicus pileus, nunc Hispanicus cucullus, nunc ille, nunc alius uestitus peregrinus & extraneus, uariis & insolitis, modò non sit consuetus & usitatus. Vix ulla scena apud præcos Comicos & Tragædos fuit tam uaria, quàm nunc sunt iuuenum ac militum uestes ac caligæ: omnium autem turpissimæ sunt laxæ illæ, laceræ, diffusæ, & ad talos usq; propendulæ, prodigæ, brachatæ: Nullus scurra, nemo licitor uel carnifex apud ueteres tali portento usus fuisset, quali nunc caco dæmonis arte dissecto & lacero uestitu excogitato utitur passim iuuentus, eques, miles, pedes, calones, lixæ, cerdones, & quis non? Ita ut nullus sit Euripus, nullus Polypus, nullus Chamælion, nullus Pardus, nec Panthera magis sic uersicolor & uersicoloribus maculis, quàm illi sunt uestitu ac morib. diffformes potius quàm efformati. Cum enim non tantummodo per sese turpissima nouitatis in uestitu adfectatio sit, ut propterea eò magis fugienda, tũ quoq; alia pleraq; uitia gignit ac producit, quæ iurè, præsertim in iuuentute, ac honestis ciuib. improbantur ac notantur. Est enim talis leuitas & atractionis, seu inordinatio, quasi quædam præter cætera uitia honestæ disciplinæ dissipatio, ac decentium morum corruptela, ex qua non aliud sequitur, quàm piæ ueræq; religionis contemptus, magistratus iussionum uituperatio, licentia, audacia, proteruitas, & insolens atq; monstruosa peregrinitas iuxta ac peruersitas, cum magnorum sumptuum prodigalitate ac perditione, quam etiam hoc loco Cæsarea constitutio prohibet ac detestatur, sumptuarias & quasi uestiarias leges passim utiliter sanciendo. Dixerunt ueteres, uestitum hominis morum non minus quàm orationem animi characterem atq; imaginem esse: nunquid igitur dubitandum, illos, qui tantoperè barbaris et monstruosis uestibus de-



lectantur, hodie animos quoq; monstrosos alere. Incedit aliquis Germanus adolefcens, Hispanico tectus pileo, eoq; plumis & uariè picto: thorax deinde Gallicus est: caligæ amplæ, fulæ, propendulæ ad pedes usq; laxissimè, monstrum dixeris uerius, quàm hominem. Deb et enim uestitus hominis eius etiam naturam imitari. Sed hic non imitatur naturam, quæ paucis contenta est, sed luxuriatur potius, & superfluat in uestitu. Quod uitium iam potissimum præter cætera regnat apud Germanos, uti palàm uidemus, tum milites, equites, tum pedites, calones pariter & lixas, paganos & ciues. Dolendū uerò est, hanc nationē, quæ grauitatis atq; cōstantiæ laudē sibi hæctenus apud exteros uendicauit, hac parte leuitatis insimulari posse. Vidi ego Doctoris cuiusdam Medici, uiri doctissimi & honestissimi filium scholasticum tali exotico uestitu, & laxissimis propendulis, braccatis caligis extra patrios lares incedere: & cum propter amicitiam paternam arguerem adolescentem, eum uestitum & mores non decere honestarum literarum studiosos, quorum parentes in hoc genus uestimentorum haud quaquam sumptus suppeditarent. Respondit: absente & ignorante patre sibi licere more aliorum sui similibus uestiri. Dixi, ἀταξίαν καὶ κακοηλίαν esse, quam etiam Flaccus reprehendit, appellans tales imitatores seruum pecus: honestarum artium studiosos, alios decere mores, uestesq;. Nec frustra scriptum esse in Ecclesiastico, Amictus, risus & incessus produnt hominis ingenium: Similis in animo inconstantia, similis cupiditatum uarietas, qualem in uestitu cernimus: deniq; legum & morum patriæ fastidium simile in animo hæret. Coniecturam enim morum faciunt prudentes à uestitu & uultu, ut inquit uulgò: Distortum uultū sequitur distortio morum. Animaduertunt enim docti homines, ut traditur in Physiognomicis, uestitum, sermonem, habitum, incessum, & alios corporis morus tanquam actionem esse animi, in qua uelut in speculo cuiusq; natura cerni posset, ut Poeta testatur, cum mollitiem obijcit Troianis Turnus, à ueste coniecturam faciens, ubi inquit: Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. Apud Homerum: ἐκ γὰρ τοῖ τούτων φάτις ἀνθρώπου ἀναβαίνει ἐδλή. Videlicet homini ex istis surgit bona fama decusq;. Quantum uerò momenti cultus uestium adferat ad conciliandam homini formam, dignitatemq;, satis idem indicat de Vlyssæ loquens: Antè uidebatur specie fœdissimus esse, Nunc diuis similis, magnus quos pascit Olympus. Exutis enim pannis, uestes nitidas induerat Vlyssæ, ac protinus alius esse uisus est. Quemadmodum enim honestus amictus & habitus apud bonos uiros magnam commendationem habet, ita contrà dissolutio uestitus, maximè in adolescentibus, peruersitatē animorū ac morū subindicat atq; declarat. Idcirco scribit Xenophon, Lycurgum Lacedæmoniorum Legislatorem præcepisse, ut eorum pueri, in publico manus intra uestes continerent, & ut taciti incederent, nec circumspicerent, nec deicerent oculos ab his, quæ ante pedes essent. Et quidem hæc magnarum uirtutum tyrocinia quædam existimârunt esse Græci Ethnici. Ait enim Xenophon, instituta hæc fuisse ideo, ut ad uerecundiam, pudorem ac modestiam à prima pueritia statim assuescerent. Quantò magis nos, qui Christiani uocamur, & in pijs literis ac studijs, a deoq; in Ecclesia erudimur, ut nō modò literas perciperemus, sed ut ad uirtutes, omniaq; honesta officia instituere mur. Hæc incunabula modestiæ & pietatis, in uestitu atq; incessu per omnem uitam seruare oportuit, ut bonos & Christianos ciues decebat, & ut Paulus Christianos appellat συμπολίτας τοῦ θεοῦ, uelut conciuēs & domesticos Dei. Verum quid hoc monstri est, aliud professio nominis, aliud habitus & uestitus loquitur, qui summam leuitatem, immodestiam, & impudicitiam præ se fert, req; ipsa demonstrat.

Mirari igitur planè licet, quid Christianis hominibus, qui Christo nomen dederunt, in mentem ueniat, quàm non conueniat ad professionem suam, ad titulum & studia, talis uestitus & habitus. Si in scæna prodiret, cum habitu scurræ Rex Agamemnon, nemo nō uociferaretur illum histrionē decori oblitū esse, nescire scænae, quod aiunt, seruire. Tam morosè iudicāt homines in fabulis & ludis. Quid putamus graues homines, quid Deum ipsum, & Angelos eius iudicare de mortalibus, tam scurriliter ac sceleratè incedentibus, ut nescias, an homines sint, uel la rux,



uel laruæ, uel monstra aut etiam diaboli. In hac immodestia, peruersitate, & impudentia nunc educatur iuuentus. O seculum, O mores. Quàm nihil ualent apud istos homines præsermones, sanctæ leges, Imperatorum iussa, magistratuuum edicta, etiam apud eos, qui Christiano nomine gloriantur, quos Diuus Paulus Apostolus uult, & quidem hortatur, ut coram hominibus ambulent *ευσχημόνως*, hoc est, decenter, honestè, nec quid uel in cessu, uel sermone, uel gestu indecorum admittant. Cum primis autem iubet, iuueniles leuitates, & cupiditates fugere, quæ ex corruptis moribus, & deprauatione disciplinæ, uelut agmine factò, nascuntur. Vt quidam ex Poëtis in nouos uestitus non in concinnè dixit, Labor gemitum uomit intus alta serenum Pectoris in nubem premit indignatio uentis Ambitione noua, nudaq; libidine cultus Secula dissolui, ueterum uilescit amictus: Relligio, rerumq; placet petulantior usus, Succumbunt antiqua nouis, circumfluit orbem Luxuries, morumq; uiros infantia mollit. Et alius quidam ait, Vestis erat uilis, sed non immunda, decensq; Quam solet in uidua casta tenere domo. Commemoratur historia principis Palatini Friderici senioris, illius, qui res bello magnas gessit. Ad hunc uenerat Carolus Dux Burgundiæ in arcem Heidelbergensem, eiq; inter cætera xenia, ut fit, dono dedit pallium ex purpura factum, & ornatum preciosis gemmis, sed breue, ut tunc erat Gallicæ gentis uestitus. Palatinus Fridericus in gratiam hospitis pallio uti cogebatur, etiam si breuitas illa displicuit. Vt autem melius tegetet priorem corporis partem, curauit sibi marsupium latum ex purpura fieri, quo incedebat tanquam rhenone tectus. Tanta erat tunc in Germanis grauitas, tantus amor uerecundiæ, nunc uestitus leuitatem & impudentiam animorum ostendit. Grauius ergo Iustinus Historicus dicit, Lycurgum legibus suis cauisse, ne iuuenes amplius una ueste toto anno uterentur, & ne quisquam cultius quàm alter progrediretur. Eadem enim ratio (sicut Cic. lib. primo Officiorum scribit) est habenda uestitus, in quo, sicut in plerisq; rebus alijs, mediocritas est optima, Velut Plautus in Pænulo dicit, Modus omnibus in rebus, soror, est optimum habitu: nimia omnia nimium exhibent negotium ex se. Lysandri quondam filiabus uestes muliebremq; mundum preciosum Rex Siciliae miserat, eas Lysander capere noluit, iniquiens, dehonestabit potius filias meas, quàm ornabit: innuës ornatum nimium & immoderatum uitandum esse.

In Caput decimum, undecimum, & duodecimum Politia Imperialis, uideantur leges sub diuersis titulis libro undecimo Codicis, uidelicet, de Murilegulis, & Gynæciarijs, et procuratoribus gynæcij, &c. Item titulus octauus eiusdem libri, De uestibus holobaris, & auratis, & de tinctione sacri muricis. Murilegulus hic sumitur pro muricis collectore, ut interpretatur Alciatus in libro undecimo Codicis. Cum primis autem in hoc decimo capite mandat Imperator Principibus & Magistratui, ut in re uestiaria decentem ac tolerabilem quisque suis subditis modum constituant atque præscribant. Cùm enim omnibus in rebus modus ac ordo sit optimus, ut pulcherrimè dixit Xenophon, *ὄνδ' ἐν οὐτως ὄντε εὐχερσον, ὄντε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τέξις*, quid in hoc tempore maximè usui utilitatiq; fuerit Reipublicæ, rationem uestitus haberi, ac fastum illum moderari, cùm id etiam iustissimis de causis præcipiat Imperator: resq; ipsa Principes ac Magistratus adhortetur.

In Caput Quindecimum Politia Imperatoris Caroli  
Quinti, Annotationes Doctoris Iustini Gobleri.





AVDANDI sunt Principes & Status Germanici, Imperatoris Maiestati obsecundantes in eo, quod passim in aliquot ciuitatibus & locis per Germaniam nimios illos & graues sumptus atq; impensas publicorum conuiuiorum, nuptiarum, puerperiorum, enceniarum, funerum, sepulturarum, societatum, & in alijs antiquo laudabili more, uelut sumptuarias leges quisq; sua in prouincia & diocesi statuunt. Quid enim utilius, quid decentius in Imperio Romano & Germanico, quam imitatione antiquorum, moderari & abrogare sumptus nimios & superabundantes? quemadmodum saepe quondam in omni laudata Republica factitatum esse legimus apud Aulum Gellium & Macrobius, ut caeteros sileam. De ueteri enim parsimonia, deq; antiquis legibus sumptuarijs ille cap. 24. lib. 2. notat. Att. Parsimonia (inquit) apud ueteres Roman. & uictus atq; coenarum tenuitas, non domestica solum conseruatione ac disciplina, sed publica quoq; animaduersione, legumq; complurium sanctionibus custodita est. Legi adeo nup in Capitonis Attei collectaneis Senatus decretum uetus, C. Fannio & M. Valerio Messala consulib. factum, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter sese conuiuia agerent, iurare apud consules uerbis conceptis, non amplius in singulas coenas sumptus esse facturos, quam centenos uicenosq; aëris, praeter olus, & far, & uinum. Neq; uino alienigena, sed patrio ufuros: neq; argenti in conuiuio plus pondus quam libras centum illaturos: sed post id Senatusconsultum lex Fannia lata est, qua ludis Romanis, item ludis plebis, & Saturnalibus, & alijs quibusdam diebus in singulos dies centenos aëris insumi concessit, decemq; alijs diebus in singulis mensibus tricenos. Caeteris autem omnibus diebus denos. Hanc Lucilius Poëta legem signat, cum dicit: Fannij centussisq; misellos. Et reliqua, quae ibi sequuntur.

Caeterum de legibus contra luxuriam ueterum Romanorum latis sic scribit Macrobius cap. 17. libro Saturnaliorum tertio: Longum (inquit) fiat, si enumerare uelimus, quot instrumenta gulae inter illos uel ingenio excogitata sint, uel studio confecta. Et haec nimirum causae fuerunt, propter quas tot numero leges de coenis & sumptibus ad populum ferebantur, & imperari coepit, ut patentibus ianuis praeferretur & coenitaretur. Sic oculis ciuium testibus factis, luxuriae modus fieret. Prima autem omnium de coenis lex ad populum Orchia peruenit: quam tulit C. Orchius tribunus plebis de Senatus sententia, tertio anno quam Cato censor fuerat, cuius uerba (quia prolixa sunt) praetereo. Summa autem eius praescribat numerum conuiuiarum. Et haec est lex Orchia, de qua Cato mox orationibus suis uociferabatur, quod plures, quam praescripto eius cauebatur, tum ad coenam uocarentur. Cumq; autorem nouae legis aucta necessitas imploraret, post annum 22. legis Orchiae, Fannia lex data est, anno post Romam conditam, secundum Gellij opinionem, 88. De hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia sanctissimi Augusti ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum. Neq; eam praetores aut tribuni, ut plerasq; alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia, ipsi consules pertulere, cum Respublica ex luxuria conuiuiorum maiora quam credi potest detrimenta pateretur. Si quidem eò res redierat, ut gula illecti pleriq; ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam uendiderent: pleriq; ex plebe Romano uino madidi in comitium uenirent, & ebrii de Reipublicae salute consulerent. Haec Sammonicus. Fanniae legis saeueritas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numero tantummodo coenantiu cohibebatur, licebatq; secundum eam unicuiq; bona sua inter paucos consumere. Fannia autem & sumptibus modum fecit assibus centum. Unde à Lucilio Poëta, festiuitatis suae more, centussis uocatur. Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est. Eius ferundae duplex fuit causa: prima & potissima, ut uniuersa Italia, non sola urbs, lege sumptuaria teneretur. Italis aestimantibus Fanniam legem non in se, sed in solos urbanos ciues esse conscriptam. Deinde, ut



non soli qui prandia cenâsue maiore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas uocari essent, atq; omnino interfuissent, pœnis legis tenerentur. Post Didiam Licinia lex lata est, à Publio Licinio Crasso diuite, cuius ferendâ probandâq; tantum studium ab optimatibus impensum est, ut consulto senatus iuberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus obseruaretur, quasi iam populi sententia comprobata. Lex uerò hæc, paucis mutatis, in plerisq; cum Fannia congruit. In ea enim ferenda quesita est nouæ legis autoritas, exolescente metu legis antiquioris, ita certè ut de ipsis duodecim tabulis factum est: quarum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus, cauebatur, in alia latorum nomina tranſierunt. Sed legis Liciniæ summa, ut Calendis Nōnis, Nundinis Romanis, cuiq; in dies singulos triginta duntaxat asses colundi causa sumere liceret. Cæteris uerò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tres, & falfamentorum pondo libra, quod ex terra, uite, arboræue natum sit. Video quid remordeat. Ergo iudicium sobrii seculi est, ubi tali præscripto legum cœrcetur expensâ cœnarum. Non ita est. Nam leges sumptuariæ à singulis ferebantur, qui totius ciuitatis uitia corrigerent. At nisi pessimis effusissimisq; moribus uiueretur, profectò opus ferendis legibus non fuisset. Verò uerbū est: leges, inquit, bonæ ex malis morib; procreantur. Has sequitur lex Cornelia, & ipsa sumptuaria, quâ tulit Cornelius Sylla dictator: in qua nō conuiuiorū magnificentia prohibita est, nec gulæ mod; fact; uerū minora precia rebus imposita: & quib; reb; di; boni, quamq; exquisitis & penè incognitis generibus deliciarū? Quos illic pisces, quasq; offulas nominat? Et tamē precia illis minora cōstituit, ausim dicere, ut uilitas eduliorū animos hominū ad parandas obſoniorū copias incitaret, & gulæ seruire, etiā qui paruis essent facultatib;, possent. Dicā planè quod sentio, Apprimè luxuriosus mihi uidetur & prodigus, cui hæc rāta in epulis uel gratuita ponātur. Itaq; tantò hoc seculū ad omnē incontinentiā præptius, ut pleraq; earum rerum, quæ Syllana lege ut uulgo nota, comprehendunt nemo nostrū uel fando cōpererit. Sylla mortuo Lepidus consul legē tulit & ipse cibariā. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat. Dehinc paucis interiectis annis, alia lex peruenit ad populum, ferente Antio Restione: quā legem, quam uis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & uitiorū firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Restione latore ipsius legis fertur, eum quo ad uixit foris postea nō recenasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset. His legibus annumerarē edictū de sumptibus ab Antonio propositum, qui post triumphum fuit, ni indignum crederem inter cōhibentes sumpt; Antonio locū facere: cuius expensæ solitæ cōferri sola unionis à Cleopatra uxore cōsumpti, æstimatione superatæ sunt. Nam cūm Antonius quicquid mari aut terra, aut etiā cœlo gigneretur, ad satiandā ingluuiē suam natū existimans, faucibus ac dentibus suis subderet, eaq; re capt; de Rom. Imp. facere uellet Aegyptiū regnū: Cleopatra uxor, quæ uinci à Romanis nec luxuriā dignaretur, sponsione puocauit, insumere se posse in unam cenā festertium cēties. Id Antonio mirū uisum: nec morat; sponsione cōtendit dignis culina. Numacio Plāco, qui Antonio tā honesti certaminis arbiter electus est. Altera die Cleopatra pertentans Antonium pollucibile fanè cenā parauit, sed quā non miraretur Antonius, quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnosceret: Tūc Regina aridens phialam poposcit, cui aceti nō nihil acris infudit, atq; illic unionē demptū ex aure altera festinabunda demisit: eumq; maturè dissolutū, uti natura est eius lapidis, absorbuit. Et quāuis eo facto, sponsione uicisset, quippe cūm ipsa margarita cēties festertium sine cōtentione eualuisset, manū tamen ad alterius unionis aurem similiter admouit, nisi Numatius Planc. iudex fæuerissimus superatum Antonium maturè pronūciasset. Ipse autē unio cuius magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui supfuit postea uicta regina & capto Aegypto, Romā delat; dissectusq; est, & fact; ex una margarita duæ, impositæq; simulachro Veneris, ut monstrosæ magnitudinis, in tēplo, quod Pātheū dicit. Porro de cibarijs legibus, quādo luxus primū inuasit, deq; frugalitate priscorū, & quā porro parco uictu cōtenti fuerint, uidere quis potest, si liber, Alexandrū ab Alexandro, Genialium dierū li. 3. cap. 11.



*In Caput decimum sextum Politiae Imperialis, Caroli  
Caesaris V. Annotationes Doctoris  
Iustini Gobleri.*



**P**RAESENTI capite Cæsar noster duo crimina perstringit: alterum nempe subdolum illud & occultum furandi genus, quo nautæ, aurigæ, uectores, caupones, uina non solum euasis furantur & auferunt, uerum etiam reliquâ aqua infundendo, falso, malitioso, & excogitato animo corrumpunt & adulterant, quod certè falsi crimen est committere, & in legem, Deum, & proximum delinquere, l. quid sit falsum. ff. ad leg. Cornel. de fals. Quemadmodum & Prætor quondam pessimus in Republica exemplum fore animaduertit, si res itinerantium insidijs exponerentur illorum, ad quos profus ignotos diuertere cogit necessitas. Nemo etenim sibi ipsi satis tutam potest rerum suarum præstare custodiam in itinere: imò personam quoque, nedum res oportet aliorum fidei committere. Huic itaque rei admodum difficili ac periculosa prospexit Prætor suo edicto duabus in factum actionibus: quarum altera contractui cum nauta, caupone, stabulario quasi inuito: altera delictis familiaræ, qua utuntur, coercendis deseruit. Tunc ciuilem quoque actionem, in quibus scilicet speciebus id licet, accommodat. Et profectò (teste Oldendorpio) nulla iuris remedia aduersus id genus homines uidentur superuacanea. Ut enim de ipsis exercitoribus parcissimè loquamur, certè familiam quandoque adhibere solent impurioris plerumque farina. Quo circa disertè Prætor in l. 1. in principio ff. eod. tit. edicens, ait: Nautæ, caupones, stabularij, quod cuiusque saluum fore receperint, nisi restituant, in eos iudicium dabo. Haud dubiè in eodem edicto subiecit Prætor de furtis, de damnis & delictis familiaræ, & sic de posteriore in factum actione, si eius edictum totum extaret. Posteriolem uerò actionem in factum explicat Ulpianus, ut solet in l. licet. ff. eod. tit. In factum actione (inquiens) caupo tenetur pro his, qui habitandi causa in caupona sunt. Idem dicit in l. 1. §. fin. ff. furt. aduers. naut. caupo. stabul.

Vocatur autem hæc prætorij edicti in factum actio, furti: quoniam præter familiaræ furtum in nautas, & alios datur. Interim tamen non tollit actionem furti ciuilem aduersus ipsos contractantes. l. licet §. 1. ff. eod. Iam & scire oportet, cum referuntur res uel merces aut iumentain nauem, cauponam, aut stabulum, non esse ciuiles actiones, Nam si merces interuenerit, etiam si tota nauis locata sit, ex locato & conducto agi potest. Si uerò gratis susceptæ sunt, rectè agitur de rebus quæ desunt. Item ob damnum iniuria datum, legis Aquiliae actio est. Ut eleganter disputat Ulpianus secundum Pomponium in l. 3. ex hoc edicto, nautæ, caupones, stabularij, &c.

*In Caput decimum septimum Politiae, de usurarijs contractibus,  
Annotationes Doctoris Iustini  
Gobleri.*



**P**ORRO Cæsar noster in Politia sua benè constituenda uidet, quàm sit nocentissima Reipublicæ pestis, auaritia, scenus & usura, quæ non plebem tantum scenocraticijs contractibus, sed & ciuitates nonnunquam exhauriunt, terras & populos deuorant: ita ut uerissimè dixisse censeatur Menander, *πλεονεξίαν μέγιστον ἀνθρώπων κακόν*. Quippe auaritiam mortalibus esse maximum malum, quam diuus etiam Paulus omnium malorum radicem appellat: ex cuius uelut fomite omnia alia uitia subnascantur, & hi maximè usurarij contractus, quos hoc loco taxat, abrogat & damnat.



damnat Imperator. Quod enim *πλεονεξία* aliud est, quàm quod ille apud Comi- cum ait, sibi tantum melius malle quàm alteri. Vnde pleriq; ueteres dixerunt, fœ- nus exercere, sit cum iure naturæ pugnare: quin etiam hominem occidere. Non enim iniustum tantum, uerum etiam dedecus, turpe, atq; ignominiosum est, quæstum ibi facere, uel exigere pecuniam, ubi nullius rei commutatio est, hoc est, ubi aliquis pro nihilo exigit pecuniam, quod facit fœnerator, qui salua forte exigit usuras non pro aliqua re, quia fors est salua, sed tantum pro officio mutuacionis: quemadmodum faciunt scelestissimi fœneratores, qui ex paucis nummis in breue tempus exhibitis, ingentia fœnora, & petere, & accipere non uerentur. Quid ni igitur iniustum est, usuras exigere, maximè cum per uetitas illas quæstusorum fœneratorum artes, & iniquos contractus, quotidie crescunt usuræ, & exhauriuntur alienæ facultates: quod etiam Ethnici senserunt, inter quos præcipuus est & maximus philosophus Aristoteles, uituperans *τήν καπιλάκιαν*, fœneratoriam & usurariam illam artem, qua nummus ex nummo quæritur siue paratur, quod præsertim fit in mutuo uel mutuacione pecuniæ fœnori datae uel acceptæ. Quo circa dicit eum quæstum contra naturam esse, & naturæ inimicum, quia non sit inuentus, ut gignat uel pariat nummum, sed ut sit medium quasi in emptione mercis, sit usura autem si nummus parit uel gignit nummum: unde & Græci *τόκος* appellant, quia in usura precio generatur premium, quod maximè contra naturam est, ob id etiam apud gentes odio habita est usura, quoniam per eam quæritur nummus nummo, quum ad hoc tamen non institutus nec repertus sit, sed ut in emptione medium quoddam sit, ac mercis uicem gerat, adeoq; propter commutationem. Usura uerò se ipsam, suumq; lucrum & quæstum auget, Vnde & nomen fœnoris accepit, quia genita sunt similia gignentibus, & in fœnore gignit nummus nummum, quam tamen comparandæ pecuniæ rationem Aristoteles maximè præter naturam esse adfirmat, cuius uerba hæc sunt in politicis: *εὐλογώτατα μισήται ἡ ὀβσολικὴ δὲ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτήσιμ καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριμ. ὁ δ' ἐτόκος ἀυτοῦ ποιεῖ πλεον, ὅθεν καὶ τοῦ νομα τοῦτ' εἰληφεν. ὁμοιο γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννώσιμ αὐτὰ ἐσιμ. ὁ δ' ἐτόκος γίνεται νομίσματος, ὡς καὶ μάλις παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστ.*

Dictum autem est supra, Græcis appellari *τόκον* à *τίκτω*, quoniam precio generatur premium, quod maximè contra naturam esse censet Aristoteles libro 1. politicōr, ubi *τόκος* ἀπὸ τοῦ τέκω, ab erymo, & per collationem fœnus uituperat, uelut Latini fœnus à fœtura, quoniam pecuniam auget & ceu procreat uel generat, ad quod nummus non est inuentus, sed ut in emptione mercis seu precij loco sit, & quasi medium in emptione mercis, ut iam dictum est, itaq; peperam fœneratoriam imitari naturam potest, nam cætera quæ procreata sunt, suis procuratoribus similia esse dicuntur, ex institutione naturæ: pecuniam autem non inuentam esse, quæ pecunias sibi similes progeneret, sed quibus res ad uiuendum necessariae comparentur. Memorabilis profectò est apud Aristotelem hic locus de fœnore & usura, quæ tantoperè ethnicis & prophanis gentibus fuerit odiosa, & apud nos, qui Christi nomen profitemur, nullus ferè quæstus frequentior usurpatur, & uberior, quàm qui ex fœnore & usura aucupatur. Veteres Romani, ut Cato meminit, peiorem ciuem existimârunt fœneratorem, quàm furem, qui ita in legibus posuere, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Nos Christiani (proh dolor) fœneratores non solum non condemnamus tanquam fures & iniquos exactores, ac rei tam priuatæ quàm publicæ pestes, sed honoribus etiam & dignitatibus ornamus: & quò iam quisq; ad quæstum & lucrum est attentior, & fœnerandi artem melius callet, eò prudentior habetur. Atqui uerò quid fœnus & usura sit, & quot eius genera sint, ac partes, num ue in uniuersum omnis è rebus publicis eñcienda sit, quidq; hîc dandum legibus, & consuetudini gentium, & pietati Christianorum, ad retinendam tranquillitatem



ciuilis societatis, quumq; longa ac uaria esset huius disputationis quaestio, tamen Imperator noster uidetur illa in pauca *ἐξυμματα*, uelut in Compendium hoc loco contrahere uoluisse, & indicare, qui sint sceneratitij uel usurarij contractus, ac prohibiti, quos & passim leges commemorant, & Christus ipse Saluator noster, cui iudicium huius mundi à Patre traditum est, hæc uitia cum cæteris, quæ miserè labefactant Respublicas, sceleribus, securi ad hanc uitiosam arborem iam apposita, proculdubiè suo tempore expurgabit, nulla hominum industria, quam omnem uincit improbitas, astutia, & malitia hominum sceneratorum scelestissimorum, qui nonnunquam ex paucis numis, in breue tempus exhibitis ( ut supra meminimus ) ingentia lucra, & scenora, & petere & accipere non uerentur, nec uerecundantur: quicq; per fas nefasq; quaestum facere, & opes undecunq; congerere satagunt: sæpe etiam, quod uulgo dicitur, *ἀπὸ νεοκροῦ φορολογεῖν*: uelut ille è lotio quoque, & ubicunq; spes dolosi refulserit numi. Quamobrem sceneratores omnes in turpisordidoq; quaestu uersari uidentur, ob id quoque omnes in probra & dedecora incurrunt. Qui enim lucra & emolumenta magna à quibus, & quæ nefas est, exigunt, uel etiam eripiunt iure uel iniuria, quales sunt sceneratores & raptores, ij non auari solùm, sed & scelesti potius, impij & iniqui sunt habendi: quòd nimirum in turpi quaestu sint occupati. Siquidem spe quaestus hæc scelera sequuntur, & in ignominiam & probra incurrunt: quin quoque in sordido lucro, et damnabili arte uersantur. *Τόκου* autem etymon supra posuimus, *ἀπὸ τῆ τέκερ*, hoc est, parere, seu foetum procreare, uel precium generare pecunia. Fœnus autem & usura communiter id uocatur lucrum, quod supra sortem exigitur, tantùm propter officium mutationis, quod lucrum quidem seu precium, eruditi homines maximè contra naturam esse dicunt. Itaque iniustum esse scenerari, & usuras exigere. Hinc definiunt usuram esse accessionem sortis, quæ propter mutuo datæ rei usum uel moram, uel alio quouis colore illicitè exigitur, cum usura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non sit, quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa sit, id est, noua obligatione, quemadmodum Pomponius Iuriscons. in l. usura, ff. de uerb. & rer. signif. adserit. Alij quidem usuram strictè ac speciatim sumptam definiunt, nihil aliud esse, quàm precium uel potius æstimationem usus sortis consumptæ cum damno creditoris. Quàm autem usura latè pateat, quàm innumerabiles eius sint species & tractationes, non huius est instituti commemorare uel per censere. Imperator noster plerasq; damnare & abrogare hoc loco uidetur, ac improbare: utinam cum effectu tam feliciter, quàm salubriter uniuersæ Reipublicæ. Diuina scriptura, imò Christus ipse mutui contractum usuris contaminari uetuit, Lucae 6. & multa extant in Prophetis & sacris literis loca, fœnus & usuras, furta, fraudes, & imposturas prohibentia & detestantia, quæ uitia & flagitia omnia sub hoc Decalogi præcepto complectuntur: Ne furtum facias, ubi in genere à Deo ipso prohibetur omnis fraus, omnis dolus malus, omnis impostura in dictis pariter & factis, in contractibus & commercijs, in emptione & uenditione, in negotijs, in ponderibus, in mensuris, in numero, in debitorum solutionibus, & in omni iniusta alienæ rei cupiditate uel exactiõne.

Ne quis autem opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum, uetat Diuus Paulus in prima ad Thessalonic. capite quarto, Propterea quòd ultor est **DOMINVS** de his omnibus. Et Lucae 9. Zachæus telones ad Christum conuersus pollicetur, se quadruplum redditurum, si quempiam defraudasset. Quo manifestè significat, imposturam seu defraudationem esse furtum, quia in lege mulctabatur furtum quadruplo. Sic quoq; ueluti furtum prohibetur omnis illegitima & illicita usura, auaritia, & rapina, quin & omnis in contractibus impostura & fraudulentia, iuxta illud, quod  
ex diuõ



ex diuo Paulo supra dictum est, Nemo defraudet fratrem in negotio. & uerbum Christi, Mutuum dantes, nihil in de sperantes, & lex cum alibi, tum Deuteronom. 23. prohibet, inquit: Fratri tuo absq; usura mutuabis id quod indiget. Et Ezechielis 18. per totum caput. Et Psalmo 14. Qui pecunias suas non dedit ad usuram. Sunt autem usurae, quando in mutuacione ( ut supra quoq; memoratum est ) paciscimur, ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuacionem detur: Ideo autem iniustae sunt usurae, quia exigitur non debitum. Soluens enim mutuum, nihil amplius debet, & tamen amplius exigitur pro re nulla nec debita. Ergo non seruatur aequalitas, Et haec auaritia est, & iniusta, alienae rei cupiditas & exactio, adeoq; ipsissima causa, cur scenerationes & usurae exhauriant ciuitates, quia sceneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit soluens. Non potest igitur talis commutatio uel potius exactio esse iusta uel perpetua, cum non sit ex aequo mutua compensatio, sed ut inquit Iureconsultus, sortis accessio. l. eos. C. de usur. quae propter mutuum datae pecuniae usum, uel etiam moram exigit. Ea tamen iure ciuili usq; ad legitimum modum permissa fuit, dicta l. eos. C. de usur. Caeterum diuinis Christi mandatis omnino prohibita. Cum enim non nisi ab indigentibus ex quadam necessitate, sub scenore mutuum pecuniae acciperentur, accidebat plerumq; ut ipsi propter certitudinem promissionis soluere tenerentur, cum nullos fructus rerum suarum percepissent, sicq; ad inopiam redigebantur: quapropter legibus scenebre hoc malum temperatum est. At Christus noster non conuenire existimauit, mutua, quae amicorum causa inducuntur, in lucri certitudinem uertere, atq; ideo uetuit, ex mutuo quicquam sperari. Plutarchus item grauissimus autor Ethnicus docet, quod non oporteat scenerari, eaq; de re tanquam usurariae prauitatis hostis acerrimus commentarium Graece conscripsit, *πὸ τοῦ μὴ δεῖν δ' ἀνεῖλεσθαι*. Vbi uniuersam scenerandi rationem damnat, quod contra naturae regulam sit, quae est, ex nihilo nihil gigni, quod paupertati unicum eius solatium, nempe, animi securitatem & tranquillitatem aufert: quod nondum notos fructus deuoret: quod qui accipiunt sub usuris, uersuram ex uersura facientes, nunquam se extricant, &c.

Et si uero res humanae ac politicae absq; contractibus licitis consistere nequeunt, ueluti emptione, uenditione, locatione, conductione, societate, mutuo, & huiusmodi, quibus ultrò citroq; obligantur homines, quos contractus Graeci communiter appellant *συναλλαγματα*, hoc est, commutationes uel commercia, cum ultra uerba contractus aliquid utrinq; agitur, et obligatio, ex qua tandem actio oritur: tamen magna est differentia inter licitos & illicitos, seu sceneraticios, de iure prohibitos contractus, quos magna ex parte auaritia, & *πλεονεξία*, & sic malitia hominum excogitauit, quos & Imperator noster hoc capite reprehendit, atque nominatim carpit, aliquot numero ac ordine commemorando. Quos à sua Politia reijcit ac damnat, ut hic manifestè patebit. Est alioqui *συναλλαγμα*, contractus seu commutatio, honesta & mutua consensio duorum uel plurium de re aliqua legitimo modo transferenda, uel quò ad dominium, uel quò ad usum, uel quò ad obligationem diuinitus ordinata atq; concessa. Quia cum singuli indigent rebus, quas ipsi non habent, uult Deus seruata aequalitate legitimis contractibus, & communicatione legitima, uitam hominum copulatam esse, ut intelligamus iustitiam esse aequalitatem, & sciamus ipsum aequalem esse. Sunt enim legitimi contractus confirmati diuino praeepto, furtum non feceris. Et Leuitici nono. Non facite inaequalitatem in iudicio: uel ne feceritis iniquum quid in iudicio, iustè iudicabis proximo tuo. Ne incedas mercator, hoc est, impostor, in populo tuo. Mercatores enim ut impostores frequenter technis & artibus homines circumueniunt. *Wie der Zender zu seinem Knecht saget / der sich nicht zum handwerck schiden wolt. Gehe hin / vnd werde ein Krämer / ein leuthe vnd land bescheiffer*. Atqui emptio est contractus, quo res transfertur pro iusto precio, quantum ad dominium, nec retinet emptor ius retrahendi precij, & nominantur substantialia emptionis haec, uidelicet, merx, precium, & consensus emptoris & uenditoris. Caeterum mutuatio est contractus, quo transfertur pecunia, seu frumentum, seu



alia res utilis, cuius usus est consumptio, cum hac obligatione, ut tantundem post certum tempus reddatur, & dans mutuò retinet ius tantundem petendi, quantum mutuò dedit. Quæ quidem datio mutui, seu mutuatio, potissimum in his rebus consistit, quæ pondere, mensura, uel numero constant, nimirum quòd earum rerum datione in creditum ire, seu mutuuum contrahere possumus. Damos autem mutuuum non eandem speciem, quam dedimus, recepturi, alioqui commodatum aut depositum esset, sed idem genus. Quòd si aliud genus dederimus, uelut si pro tritico oleum uel uinum receperimus, nõ erit mutuuum, quemadmodum disertè inquit Zasius noster in l. 1. ff. si cert. petat. Mutuuum contrahi cum spe recipiendi idem in genere, non in specie. Eius Legis explanationem pulchram & eruditam uide apud eundem Zassium, dicto titul. qui alibi dicit, nempe in l. rogasti §. si tibi. eod. in contractu mutui facilè incidere in usuram, & crimen usuræ. Quare abstinendum esse ab huiusmodi contractibus, inquit: Ego quidem prius perirem, quàm tales contractus celebrarem. Egregia sanè uox est honesti & eruditi Iurifconsulti detestantis & abominantis usurarios contractus, & sceneratores. Nouerat enim uir optimus, scenerari turpe esse, & pugnare cum lege naturæ, ut iam antea sæpè dictum est, etiam ab Ethnicis omnem scenerandi usum damnari, uelut totius Reipublicæ perniciem. Est enim scenus & usura quæstus seu lucrum, propter mutuuationem supra fortem exactum: seu quòd propter mutuuationem petitur. Expressè autem in sacris literis prohibita est usuræ petitio. Leuitici 25. & Deuter. 23. Et in Euangelio dicitur: Mutuum date, nihil inde sperantes. Nam pugnant usuræ cum æqualitate: nec quis debet lucrari ex alieno. Accipiens uerò scenus uel usuras, lucratur de alieno, quia mutuatio transtulit dominium ad alium, & quidem rei non sua natura fructificantis, Non est igitur iustum lucrum scenus aut usura. Res quoq; ipsa ostendit, propter hanc inæqualitatem exhauriri magnam partem hominum, eamq; ob causam sæpè, tum apud Romanos tum alios populos, seditiones in imperijs ortas esse, ut uidere est in Historijs, & apud Ciceronem in Catilinam, & alias Reipubl. pestes. Tandem tamen & Ethnici, & Imperatores, ut modus aliquis esset, leges quasdam condiderunt, etiam de Centesima, quæ sic dicta est, quando centesimo mense æquat fortem: ut si quis singulis mensibus de centum aureis soluat unum aureum, cuius usuræ centesimæ mentio fit in libro Esdræ capit. quinto. Cumq; sceneratores duas aut tres centesimas postularint, lex de centesima sæpè renouata est, ut à Lucullo in Asia, à Cicerone in Cilicia, à Iulio & Augusto in toto Imperio. Certè consulunt pleriq; sapientes, inter quos etiam est Plutarchus, grauissimus autor & Historicus, heredum quodlibet potius uendendum esse, quàm mutuò à danista & harpyis illis sceneratoribus accipiendum. Apud nos profectò publicè interesset, legem ciuilem, nempe l. eos. C. de usuris, obseruari: quam sancit Imperator Flauius Iustinianus libro quarto Codicis, titulo 32. transcribatur lex tota. 26. quæ certum modum scenerantibus constituit, ut qui eum excederent, plecterentur. Quin & propter Canonum prohibitionem non nisi pessimus quisque & impudentissimus scenerat, qui Cambij, hoc est, permutationis nomine, uel alio ficto titulo, indigentem, atq; necessitate, quòd humaniores non reperiat, compulsus deglubit. Nec quidem Episcopi & Sacerdotes id pessimum & exitiale hominum genus ullo modo coërcent aut execrantur, sed adiuuant potius, suis quoq; pecunijs *stavesac*, in id lucrum clam creditis, teste Alciato in l. usura pecuniæ. ff. de uerb. signif. quòd & diuus Cyprianus conqueritur. Detestantur & improbum scenus Imperatores Diocletianus & Maximinianus l. 20. C. de causis, ex quibus infamia irrogatur, ubi sic statuunt: Improbum scenus exercentibus, & usuras usurarum illicitè exigentibus, infamiæ macula irroganda est, & in §. Porro, 3. quæst. 7. idq; idem adserit Bald, in d. l. improbum scenus.

Centesima V<sup>o</sup>ca  
de p<sup>o</sup>carper 12



Vocat autem Improbum scenus, quod & Cicero magnum & iniquissimum appellat, scilicet quod uersura dissoluitur, quemadmodum ij solent, qui ut syngrapham unam dissoluant, & una cautione se liberent, pecuniam mutuam maioris scenore iterum accipiunt. In dies enim deteriorem conditionem suam faciunt, quod frugi homines facere non solent. Et pleræq; hodie, proh dolor, propter luxum uelititus, & crebras comestationes non solum domus, sed & Ciuitates, grauissimo scenore laborant, quanquam multis scenebribus legibus & constitutionibus imperialibus, illa *πλεονεξία, φιλαργυρία η̄ δανεισμός*, sceneratio & auaritia haecenus sæpe constricta est, & coërcita, sed ut uideo, frustra, quum earum salubrium legum & constitutionū, uelut quondam Megarensium, nulla habetur ratio, quin acerbissimi sceneratores, Iudæi, & sui cōplices, impunè sceneratorijs technis & artibus toto orbe grassantur: ciuibus & plebi uelut Harpyiæ ac Vulturij Phinei uictum deuorantes, idq; eò fit, quòd plurimum ex ocio & luxu æs illud alienum contrahatur, ut quotidie fieri uidemus: hinc locupletantur danistæ, Iudæi, & sceneratores, populus uerò & plebes angustantur & depauperantur, quæ admodum Cicero exclamat: Eheu quam iniquè comparatum est, ut ij qui minus habent, semper aliquid addant ditioribus, & Galli dicunt, *Les grosses rongeurs, manyent le pouver gens*, hoc est, *ὄφεις ἢ μὴ φάγῃ ὄφιν, ἀράκων ὅυ γενήσονται*. Sceneratorum enim, danistarum & Iudæorum fortunæ, ac copię, non in tantum augerentur, nisi essent quos exurgerent: quemadmodum inter pisces & beluas sunt qui laniatu aliorum uiuunt: Inter homines quidem nulla pestis maior iniustitia, auaritia, *πλεονεξία*, quod uitiū animi est, quo lucrum & quæstum undecunq; oblatum cupidi daneistæ & harpyiæ sectantur, & amplius quam par sit, qualibet in re habere desiderant: quod propriè est *πλεονεξία η̄ δανεισμός*, uitium scilicet prorsus il liberale & odiosum, quo auari & iniqui lucrum & quæstum in qualibet re, undecunq; affectant & sectantur, etiam, ut ille, ex lotio, quod eum non puduit: & profectò pudendum turpilucrum fuit, cum quibusdam populis, maximè Indis, ignotum scenus & usura fuisset. Liuius scribit libro ab urbe condita octauo, de ijs qui creditoribus, quòd rationi paria non facerent, addictos nexui & uinctos esse, nimirum æris alieni ratione, quo persæpe inopes adobruiebantur, usura multiplici omnia arrodente, ac uelut tabe pestifera ad corpus item correpente, nascebantur quandoq; nouarum tabularum decreta per summam inexuperabilemq; necessitatem, ac Diomedeam quodammodo (ut dicitur) expressa patribus. Quamobrem ea Cicero labefactionem fundamentorum Reipublicæ uocat, quum pecuniæ creditæ obæratiss condonantur, & nouæ mox cooriuntur tabule, quibus nomina contineantur noua. Et alibi idem Cicero: Tabulæ nouæ quid habent argumenti, nisi ut tu emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam. Ut rectè apud Comicum dixisse uideri possit, Næ ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damni apporet: quod in scenus & uersuram appositè quadrat, cum pecuniam mutuò accipit debitor, & per eam dimittit priores creditores insolutos, quod modici temporis, breuisq; spacij lucrū malum & æquale est dispendio, ut uerissimè dixisse uidetur Hesiodus, *Μὴ κακὰ κερδ' αἰνεῖν, κακὰ κερδ' αἰσα ἄτησι*. Id est, ne malè lucreris, mala lucra æqualia damnis sunt. Quam uocem Ethnici hominis, utinam Christiani mortales, præsertim propolæ & negociatores, perpenderēt, quorum Deus Plutus ac uenter est, *ἀλλὰ δὲ αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται*. Adducit enim infortunium, turpe lucrum, uelut Carcias nubes, quod dicitur. Clarum igitur ex suprâ dictis liquet, usuram propriè fieri & consistere in mutuo. Mutuationem uerò contractum esse, quo transfertur pecunia, seu frumentū, seu alia res utilis, cuius usus est consumptio, cum hac obligatione, ut tantumdem post certum tempus reddatur: & dans mutuò retinet ius tantundem petendi, quantum mutuò dedit. Sic & locatio est contractus, in quo res transfertur ad certum tempus, quo ad usum pro certo precio, non quo ad dominium: Et res illatæ sunt iure oppignoratæ locanti. Est autem usura (præter suprâ dictas definitiones) etiam secundum Azonem in Summa sua. C. de usur. quicquid forti accedit. Quam definitionem Doctores super Rubrica de usuris, in antiquis, suppleunt, dicentes, quòd usura sit, quicquid forti accedit, scilicet ex pacto



præcedenti, uel ex intentione, Vt Ioan. Andream in cap. peccatū. de regul. iur. definit, dicens, Vsuram esse lucrum ex mutuo, uel pacto, uel conuentione exactum. Quam definitionem Doctores (ut dixi) super Rubrica de usur. cōmuniter sequuntur. Hostiensis quoq; egregiè definit, scilicet, Vsuram esse, quicquid accedit rei mutuatæ, ipsius rei usus gratia, ex pactione, uel intentione habita in contractu, uel in exactione facta ex postfacto. Quam definitionem Ioannes de Anania in dicta Rubrica sic declarat, duo continere, materiale scilicet, ut mutuū: & formale, ut exactio. Et secundum tales definitores usura habet locum in illis rebus, in quibus consistit mutuuum. Mutuum autem consistit in ijs rebus, ut supra meminimus, quæ pondere, numero, mensuræ &c. consistunt. At quidam uolunt, hodie usuras omni iure prohibitas esse. Primum de iure diuino ueteris testamenti, ut Exodi 22 cap. Si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi &c. ne usuris opprimes. Item Deuter. 23. Non fœneraberis fratri tuo pecuniam ad usuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. Et Ezechiel 18. cap. est horribilis textus contra usurarios, ibi, Ad usuram non commoda uerit, & amplius non acceperit. Et sequitur: Ad usuras dantem, & amplius accipientem, nunquid uiuet? non uiuet. Item Leuitici 25. Nec accipias usuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum, ut frater tuus possit uiuere apud te: pecuniam non dabis ei ad usuras, & frugum super abundantiam ab eo non exiges. Item Psal. 14. quærit in spiritu sancto, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et respondet inter cætera, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera supra innocentem non accepit. Secundò item sunt prohibita usura de iure diuino Noui testamenti in Euangelio, ubi dicit Saluator noster Christus: Mutuum date, nihil inde sperantes. Ecce filius Dei, & ipsa ueritas dicit, nihil inde sperantes. Et paulò antè dixit: Si mutuuum dederitis ijs, à quibus speratis recipere, quæ gratia erit uobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia &c. Quòd si quem illi textus diuinæ scripturæ & comminationes nō affecerint & mouerint, ut cōtineat se ab omni usura, is non est appellatione hominis Christiani dignus, nec guttula, uel scintillula timoris Dei, uel ueræ fidei in eo est. Tertiò, sunt item usura prohibita iure positivo & humano, uidelicet canonico iure, & quidē in sanctissima Synodo Nicæna, de qua in cap. quoniam, & pulcher textus in cap. penult. 46. distinct. 14. quæst. 3. per totum. qui text. ibi ualde insigniter interpretantur iura diuina seu Canonica. Item 14. quæst. 5. & 6. per totum. Item per totum titulum de usuris, in antiquis, capitulo, qui repetiturum. in 6. & Clement. 1. Et licet de iure ciuili usura fuerint permissa, ut in toto titulo ff. et C. eodem, & postea de iure Canonico, adeoq; etiam in Authent. usq; ad titul. de Eccles. titul. usq; ad certum modum permissa & limitata, ut in l. eos, & l. ab eo. Authent. ad hæc. & in corpore, unde sumitur. C. de usur. hodie tamen per dictum titulum §. 1. de Ecclesia. titul. collat. 9. sunt etiam de iure ciuili prohibita, ubi pientissimus & Christianissimus Imperator Iustinianus mandat quatuor illa concilia principalia, uidelicet, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense seruari. At in concilio primo, Nicæno scilicet, usura fuerunt prohibita, dicto capit. quoniam. distinct. 46. Et sic posteriorius ius ciuile derogat omnibus prioribus legibus, usuras permittentibus. Nec leges ciuiles ibi secundum gloss. potuerunt permittere usuras, propter prohibitionem iuris diuini. Inferior enim non potest tollere legem superioris, neq; seruus legem domini, per iura in gloss. allegata. cap. cum inferior. de maior. & obedient. Præterea dicit gloss. ibi. quòd Dominus dixerit ad Paulum, Durum est tibi contra stimulum calcitrare, & ita contra mandatum Dei. Et quòd de iure ciuili usura sint etiam hodie prohibita, tenent omnes Doctores in locis ordinarijs, & notanter legum prudentes in dicta Authent. ad hæc, et in l. 1. C. de summa trinit. & fid. cathol. ac adeo quidem prohibita sunt, quòd etiam cum iuramento promissa & soluta si fuerint, tamen repeti possint, iuxta capit. debitores. extra de iure.

Hinc usura quoq; omnium iure prohibita, computantur in sortem, uidelicet  
ad extenuandam



ad extenuandam sortem. l. si non sortem. in princ. & ibi Bar. & Doctores notant ff. de condic. indebiti. Et quum usura, tanquam indebitè soluta, possit repeti, quia ius resistit, inferre uelle uidentur Doctores in d. l. si non sortem, quòd etiam non ualeat datio fideiussoris, nec pignoris, quandoquidem ius ipsum huiuscemodi actui resistit. Et quum sic lege resistente & prohibente, actus sceleratius uel usurarius sit ipso iure nullus, omnia quoq; pacta, omnes conuentiones & capitula, in eo contractu uel actu apposita, ipso iure non ualeant, l. non dubium, cum sui materia. C. delegibus. & quòd pacta apposita censeantur etiam in fraudem usurarum apposita. Ideo quicquid accedat sorti principali, siue sit pecunia, siue alia res, siue pactum, siue conuentio, siue lusurandum, &c. sit usura. capit. pleraq; 14. quæst. 3. Et licet uaria à uarijs adsignantur causæ prohibitionis usurarum, tamen una est prægnans & maxima, quia lucrum & quæstus usurarum est contra pietatem & charitatem proximi. Si quidem proximo in necessitate constituto tenemur atq; debemus subuenire. Est & alia ratio secundum Panormitanum super Rubrica, de usuris, quia scenus aut usura est quoddam uitium & scelus contra naturam, quum in ea pecunia germinet pecuniam, contra eius naturam: quia pecunia non est facta (ut sæpe antea meminimus) ut germinet pecuniam, sed solum ut sit mensura seu mensura rerum. l. i. C. de contrah. empr. & uendit. ac pulcher textus est, licet uulga. in capit. eiciens, octuagesima octaua distinct. Et sic quidem sceneratores & usurarij principaliter delinquent in Deum, abutendo scilicet rerum usu, tunc enim per pecuniam germinatur pecunia, quòd esse contra naturam, nemo ignorat, eò quòd uendunt usum, qui non est. Hinc Ioan. Calderinus in cap. fin. de usur. post aliquos, ut refert & sequitur Ioan. de Anania. in d. Rubri. de usur. ponens hanc rationem, quòd hæ res, in quibus consistit mutuum, & per consequens, in quibus usura constitui possit, usu consumantur: & quòd usus rei non possit separari ab ipsa re, seu dominio rei. Nam usus pecuniæ nihil aliud est quàm coemptio pecuniæ, id est, domini pecuniæ. Et sic qui uult recipere usuram pro usu pecuniæ, uult separari usum à re, quòd non potest, quum usu consumatur, ut etiam clarè uideri potest in uenditione uini, frumenti, uel olei &c. in quibus etiam consistit mutuum, & sic usura. Nam qui uendit uinum, & postea quoq; uellet uendere usum eiusdem, non posset: quia qui uendit uinum, uendit etiam usum: nec unum ab alio potest separari. Quare etiam Aristoteles (quemadmodum supra meminimus) nulla lege diuina edoctus, nec arctatus, sed sola ratione naturali inductus, scenus & lucrum usuræ, nimirum τὸν τόκον ὡσεὶ καὶ μάστιγα παρὰ φύσιν, tanquam præcipuè aduersus naturam pugnet, detestatus est, & quòd naturaliter iniquum iuxta atq; illicitum sit, ut constat ex primo libro politicorū. Quocirca sceneratores & usurarij sic etiam peccant in naturam. Quibus rationibus utiq; liquidò constat palamq; infertur, contractus usurarios sui natura uitiosos reprehendendos, & malitia conuolutos esse, uelut furtū & rapina, capit. si quis, 14. quæst. 4. & sunt uerba Diui Ambrosij Est autem Rapina improbilissimum & detestabilissimum maleficium, ut dicit Imperator Iustinianus Instituit. in princip. de oblig. quæ ex delict. nascunt. Et dicitur usurarius & scenerator latro legalis, & pessima bestia, quinimò & Vorago, quæ animas deuorat, & facultates exhaurit. capi. 1. in prin. de usur. in 6.

Hinc certè sensisse uidetur Aristoteles, usuras esse contra naturam, nec dubiam uel incertam esse regulam, de politica iustitia, quòd ius naturale uerè sit ius diuinum: etiam si Moyses concedat Hebræis, ut ab alienigenis usuras exigant, qui populus certè tunc aliquod amplius & excellentius habuit ius, non modò repetendi mutui, sed & (ut Deutero. 15. cap. dicit) scenerandi gentibus, & usuras capiendi, nempe a ueritate diuina, quæ hoc ipsum statuit & concedit. Ipse enim Deus & Dominus est omniū, qui non modò pecuniam & res, sed & regna et imperia aufert, cuiusq; uult, quocunq; modo uult & dat cuiusq; uult.



Si ergo tunc in uindictam gentium Deus uoluerit eas per usuram & scenus punire, & id Hebraeis mandet ut faciant, rectè fecerunt, quòd obediens sese Deo suo præbuerint, & iram eius scenore tunc & usura in gentibus idolatris impleuerint.

Nuncautem res secus habet sub Messia & Euangelio. Permiserunt olim leges Imperatorum exigere usuras: nec peccasse putatur Imperatorem, cum permisit usuras exigi. Quemadmodum enim approbat Euangelium magistratum, ita approbat contractus, quos indicat magistratus esse honestos & utiles Reipublicæ. Ac pertinet iudicium de contractibus ad Magistratus, non ad Ecclesiæ ministros. Quare uiderint Euangelij ministri, ne temerè pronuncient, qui contractus sint uitiosi, ne iudicentur in alieno negotio *πολυπραγμονεῖν*, & in aliena functione curiosum esse. Est quidem peccatū, usuras exigere, sed quas magistratus iudicat usuras esse. Cum maxima sit dissimilitudo contractuū. Sic longè errāt isti, qui omnes reditus iuxta damnant: nec pactū de redimendo uitiat emptionem, ut testatur lex, Si fundū. C. de pact. inter empt. & uend. Quoties autē uera emptio constituitur, legitimus est contractus, etiam si accesserit pactū de redimendo. Est enim legitimus contractus emptio, quo res transfertur, quantum ad dominium pro iusto precio, ut supra diximus, nec retinet emptor ius retrahēdi precij, si interueniant ea quæ nominantur substantialia emptionis, scilicet merx, precij, atq; cōsensu emptoris & uenditoris. Sunt autem contractus seu pacti de redimendo duo genera in usu: aut enim emitur fundus, aut emitur seruitus in bonis uenditoris, cū pacto reuendendi. In utroq; casu uera emptio constitui potest, ac utroq; genere Christianus uti potest, ut alijs politicis ordinationibus. Iudicium autem de contractibus non pertinet ad illos, qui in Ecclesia docent Euangelium, sed pertinet ad magistratus: & conuenit, magistratum non esse Timona quendam, uel *μισάνθρωπον*: sed leges ad æquitatem flectere, & multa temporibus concedere. Theologo satis est docere, quòd Christiano homini liceat uti politicis ordinationibus: nec quærat *ἀκροβόλικα*, hoc est, summū ius, quod æquitati est oppositū, et ueteres quandoq; summam iniuriam, summamue crucem dixerunt. At in talibus ciuilibus contractibus uigeat ualeatq; *ἐπιείκεια*, qua non nihil iuris acerbitas moderatur ac mitigatur, nec quis conscientias ad certam formam, & prorsus exactam *τοῦ ἀκροβόλικου*, nimirum iuris stricti alliget. Est enim pulchra & humanissima regula, summèq; utilis, in moralibus negocijs sufficere moralem certitudinem, hoc est, non esse rationem exactissimam quærēdam, sed medium *ἐν πλάτῃ*, iuxta probabilem aliquem modum seu rationem, accipiendum esse. Sic quoq; non est usura, nec contractus prohibitus, emere redditum cum pacto reuendendi, sed est uera emptio, ubi concurrunt substantialia emptionis, merx, precium, & consensus: ac liciti sunt contractus, quos Magistratus & leges approbant. Deus enim approbat ordinationem & iudicium magistratus, ac leges de ciuilibus negocijs, nec emptio uitiat per pactum de redimendo, dicta lege, si fundum. C. de pact. inter emptor. & uendit. Et is qui emit consequitur dominium, etsi alienare non potest, quia pactum de non alienando, non repugnat naturæ dominij, ut docet Barrol. l. ita quis. ff. de uerbo. obligat. Hic contractus dissimilis est mutuo, quia in mutuo licet danti mutuo repetere sortem, hic emptori non licet pecuniam repetere. Tres uerò species communiter ponuntur huius contractus: aut enim emitur certus fundus, aut certi fructus in fundo certo pro portione. Facile iudicari potest, in his duabus speciebus prorsus nihil esse uitij, quum rectè (ut diximus) concurrant omnia, quæ requiruntur in emptione, merx certa, certum precium, & consensus utrinq;. Tertia species est, cum emiter redditus in uniuersis bonis alicuius ciuitatis, ubi ciuitas obligata est actione personali, & ius quod uocatur hic merx, non uidetur in certo corpore esse. Panormitanus tamen & hanc tertiam speciem approbat, cum inquit: Sicut ergo quis potest emere liberè totam possessionem, in *ἐμφύτευσι*, uel emere annum redditum iam constitutum ab antiquo, ita licitum est de nouo constituere & emere. De usuris. capit. in ciuitate. Et cum ius oporteat in aliquo corpore esse, est & hic ius in corpore. Ut si quis emat in alterius bonis seruitutem agendi itineris per agrum: ita in rebus natis fructificare potest con-



constitui seruitus, ut pars fructuum redeat ad aliquem. Et huius seruitutis corpus constitui possunt omnia bona alicuius personæ, aut communitatis. Quidam defendunt, & in persona constitui posse redditum. Quod etsi subtiliter disputatur, tamen placet hoc, quod Iurisconsulti docent, in rebus constituendum esse redditum, ut uidelicet sit aliqua certa merx, & ius sit in aliquo corpore. Itaque cum & hic sit merx, uidelicet ius ex alienis bonis percipiendi fructus, precium & consensus, probanda est & hæc tertia species. Præclare inquit Baldus, hunc contractum licitum esse, si habeat æquitatis recompensationem & proportionem, capit. 1. de Iure iurando. Sicut igitur in alijs contractibus conseruanda est æquitas, ita in hoc contractu uidendum est, ut pericula pariter compensentur, uidelicet ne census exigatur, si perijt corpus. Et tamen in his casibus quoque, ut in omnibus contractibus fieri debet, curandum est, ut medium sumatur *ϰατά*, hoc est, ut diximus, iuxta aliquam probabilem rationem, & ex prudentis uiri interpretatione atq; arbitrio. Quemadmodum & id quod interest in contractibus ex naturali æqualitate sumendum est, ac differt omnino ab usuris. Est enim accidens aliorum contractuum, & honestæ rei appellatio, ex naturali, ut dixi, æqualitate sumpta. Debetur etiam sine pacto, ut quidem tunc habet locum, cum quispiam alteri efficacem damni causam dedit: nemo enim locupletior cum alterius iniuria fieri debet. Ut si quis promississet, se soluturum esse ad Calendas Maij, & illo non soluente, ego aliquo damno affectus essem, ob hanc ipsam causam, quia illa pecunia caruissem: ille, quia dedit efficacem causam damni, debet soluere id quod interest. Iusta est igitur ratio & consentanea naturæ, cur soluendum sit id, quod interest, quia, ut diximus, nemo debet uelle locupletari cum alterius damno uel iniuria. Hoc exemplum aliquo modo indicat, quid uocetur interesse, & ubi locum habeat. Non enim debet prætexi feneratorum rapacitati, qui mutationem tantum in quæstum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dederit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrum. Est igitur interesse debitum, quod debet iure naturæ is, qui efficacem damni causam alteri dedit: aut qui uerè impediuit alterius iusta lucra: ut si quis in locato corrumpit aliquid, debet id quanti interest, hoc est, debet sarcire damnum, etiamsi nulla pactio de hac re præcessisset. Locatio enim est contractus legitimus, in quo res transfertur ad certum tempus, quo ad usum, pro certo precio, non quo ad dominium, & res illatæ sunt iure oppignoratæ locanti. Cum autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temerè pronuncianum est. Præclare enim dixit Cameracensis: Cauendum esse, ne facile pronuncietur, usurarius esse contractus, quia uarij contractus in uita necessarij sunt, cum sint iuris gentium. Et cum contractus sint res politicæ, ualet iudicium Magistratus ac Legum, id est, sapientis & æqui Iurisconsulti de contractibus, sicut & de alijs rebus politicis. Hic sapiens Iurisconsultus discernet usuras, & id quod interest. Conferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet aperte pugnantia cum mandatis Dei. Quod autem uocabulum honestæ rei interesse, prætexitur crudelibus usuris, perniciose sophistica est. Ergo breuiter ac summatim interesse dici diffiniriq; potest id quod debetur alicui, uel quia damno affectus sit, uel quia lucrum aliquod sit impeditum uel remoratum. l. si commissa. ff. rem raram habere, ubi in l. Paulus, inquit: In tantum competit id quod interest, in quantum mea interfuit, id est, quantum mihi abest, quantumcunq; lucrari potui. Cum uerò quæritur, actoris quid interfuit, duplex est consideratio: altera de damnis & dispendijs rerum, quas amisit: altera de lucris & utilitatibus non acquisitis. Qua ratione interdum utilitas amissa, maioris erit, quàm res ipsa. l. Iulianus scribit §. ult. ff. ad exhibend. Sabinus autem l. si is. ff. de furt. Interesse, ait, eius uidetur, qui damnum passurus est, non eius, qui lucrum facturus est. Ceterum de usuris elegans diuini Imperatoris Iustini extat constitutio centesima sexagesima, quæ est sacræ pragmatice formæ exemplum tale, Aristocrates prudentissimus Aphrodisiensis Reipublicæ



Reipublicæ pater, quiq; immobilia in ea possident, supplices nobis facti sunt, aientes prædictam ciuitatem, &c. Ac principio quidem illud cognoscimus, quòd pleriq; leges nostras ita accipiant atq; intelligant, ut unde minimè conueniat, inde iniustarum ipsi actionum anfas præbeant. Siquidem à patre Reipublicæ edocti fuimus, quod cum benè magna auri summa Aphrodiensium Reipubl. ex legatis à nonnullis ciuitati relictis collecta esset: nequando ea deperiret, quidam illorū, qui in Republ. cum potestate erant, eam auri summam collocauerint, ut quamdiu id auri apud ipsum resideret, tādū qui suscepisset, quoq; anno pro eo ciuitati deperderet (siue quis id pactum, siue redditum, siue etiam usuram appellare uelit) quantum ferre ciuitatem æquum esset. Eos uerò qui aurum susceperunt, postquā constitutionem protulimus, ne creditoribus permittatur, ut debitum ultra duplum exigant: sed hoc S. eoq; solo contenti sint: S. dicere, quod ultra duplum iam perfoluerint, legatum ciuitati deperire oporteat: atq; ita calefactiones balnearum publicorum, quæ exinde fieri soleant, iniuria affici: opera etiam publica labefactari, legemq; nostram & illorum interpretationem uitium adferre reipublicæ.

Vt igitur omnia hæc è nostra expellamus Republica, sancimus, ut qui id auri perceperunt in hoc, ut pensionem aliquam pro eo perfoluant reipubl. singulis annis, quoad illud penes se aurum habuerint, inferre compellantur, id quod pro eo se allaturos constituerint, haud quaquam sacra nostra ad hoc constitutione usurpata. Illam etenim de creditoribus conscripsimus, & qui in ea comprehenduntur casibus. Præsens uerò species illam non attingit, siquidem hoc magis annuo redditui, quàm usurarum præstationi simile uideatur, nos autem ex æquo ciuitatum curam gerere oportet, ut rerum fiscalium. Quòd si quis post hanc præsentem nostram formam aliter ea quæ à nobis lege promulgata sunt, acciperit, & defraudare ciuitatem dato auro uoluerit, & pro uniuerso tempore quantum debet ciuitati perfoluet, & præterea reddet duplum, ut malitiosæ interpretationis iustam retributionem percipiat: Propterea quòd cum in manu illi esset, ut bonum se perhiberet ciuem, ita improbus est, ut quæ illum in lucem protulerit, eam non dubitet afficere iniuria. De contractibus sceneraticijs & usurarijs supra non nihil egimus, & plura quidem essent agenda, si quis omnia persequi uellet aut posset. Veniunt enim multa in hanc quæstionem, qui sint contractus legitimi & probabiles, qui contra usurarij & prohibiti, &c. Sic, de argentariorū seu numulariorū contractibus pleriq; etiam disputant: quorum tamen in pandectis & Imperatorum constitutionibus frequens fit mentio, ut l. si quis ex argentarijs. & l. argentarius. ff. de edend. per tot. tit. & l. quisquis iudicij. C. si cert. petat. Accipiuntur hodie ferè pro eodē, argentarius, numularius, mensarius, collectarius, campfor, trapezita, collybistes, & huiusmodi qui rē numariā uersant tractantq; quos uocat Vlpianus Argentariæ mensæ exercitores. l. prætor ait. ff. de edend. Diuus Imperator Iustinianus edicto nouo attribuit eis collegium, dicens, commune collegij argentariorū, qui in hac magna urbe sunt, libello supplici à potentia nostra petijt, ut supra alia omnia quæ ipsi munificè largiti sumus, alio nunc etiam modo sibi optulari uelimus. Exposuerūt autem quomodo nonnulli, quum debuerint, aut etiam debeant, quando pecuniæ, aut res ab ipsis repetuntur, quod soluendo non sint, à se petant, ut puras sponsones pro ipsis subeant, & aliàs quidem hoc ipsum in obligatorijs schedulis conscribant, aliàs uerò propter contrahentis fidem, & sine scripto hoc facere sibi mandent: Ipsi autem illorum petitionibus cedentes, ijs qui illis molesti sunt, certum tempus constituent, intra quod sponfor omnino debitum transfundat, se itaq; ad hunc modum illis spondere, ac deinde ad diem liberaliter ijs qui sponsones susceperūt, satisfacere: debitores autem interea, quasi p sponsones satis cauerint, aut mutui fortè syngraphas obligationisq; suæ schedulas recipere, aut apochas copare. Quomodo item multi, quum parare sibi rem aliquam uoluerint aut uelint, sibi mandent, ut pro ipsis pecuniam, aut rem aliquam se daturus spondeant: & illis quidem quod affectarint obtingat, ipsi uerò promptè pecunias aut res transfundāt, deniq; quomodo, quum ita simpliciter mandantibus illis sponsones fiant, pecunias tamen aut res non aliter soluere



uere uelint, quam qui sponſionem accepit, pecunias aut res ostendat, aut eas se accepisse probet. Vnde quum ipsi pecunias aut res dederint, quod illi probationes, pecunias aut res datas esse, deſcant, postmodum contentionibus ac controuersijs irretiantur. Quæ res simul in præteritis, simul in futuris sanè quàm perplexa illis est, & formidabilis: imò & impossibilis. Quisnam eorum enim, pro quibus aut pecuniæ, aut res sponſæ fuerint, uel spondentur, quando is, cui sponſæ fuerint, quæ data sunt ostendere, aut ea se accepisse, apud acta probare debeat: ad eam tergiuersionem deuenire nõ uelit? ac idcirco persæpe se fatigatos alijs cedere actiones: neq; hæc sibi actiones intendentes opponi solùm, uerum etiam quibus actiones cessæ sunt, aut ceduntur. Ac uerò petierunt, ut ab hac difficultate liberentur, ut etiam si quidẽ nulla omninò apposita conditione, purè mandatum factum sit, aut fiat, ut pecunias aut res intra certum tempus transfundant, simul atq; præfinitum tempus elapsum sit, mandator sibi, & quibus à se actiones cessæ sunt, aut etiam ceduntur, ad debiti persolutionẽ teneatur, idq; non solùm, si hoc interueniente scriptura mandauerit, uerum etiam si sine scripto totum negocium confectum sit. Nos ergò succurrere isti rei uolentes (cum omni æquitate tamen & iustitia, atq; ut in posterum omnibus citra periculũ hæc præcedant) statuimus, ne aliter ipsi sponſiones subire uelint, quàm scripto cõprehensum de his, mandatũ ipsis detur, quod quomodo quàmq; rem fieri oporteat, luculèter explicet, ne ex bona scilicet fide in euidens exitium manifestè incidant. Verùm si quomodo scriptura non interueniente, mandatum factum sit, tempus autem determinatum, & racuerit per omne tẽpus ille, pro quo sponſio facta est, neq; querelam mouerit: decurrat uerò etiam cõstitutum tempus, neq; tum demũ intra alios duos menses hoc ipsum in querelam deduxerit, omnibus modis mādator soluat sponſori debitum, quod ex ipsius uoluntate ab aliquo eorum, qui argentariæ mensæ præpositi sunt, sponſum esse constiterit, & neq; ipsis, neq; ipsorum hæredibus, aut quibus cessæ ab ipsis sunt, uel ceduntur actiones, istiusmodi quiddam apponere queat, sed illud obtineat, quod mandati ostenderit tenor, qui quidem si literis cõprehensus sit, literas Iudex sequetur: sin in literas contractus relatus non sit, probationibus ea de re secundum leges prolatis insistet. Atq; hæc quidem teneant, & in iam factis ad hunc modum, & in faciendis etiamnum sponſionibus. Si quis uerò ipsis interuenienti scriptura, aut sine ea, famulatus promissus fuerit, aut permittatur: pro bono uerò, aut ex scripto, aut ex testium fide sufficiens & legitima producat, hanc suam uim obtinere uolumus, & ut quod pacto conuenierit, exigi possit, ita ut nulla prorsus lex obsistere queat, quasi id gratis, & non pro mercede fieri oporteat: propterea quòd omnis illis ex eo uiuendi facultas pendeat, quòd usuras pendant, quòd mercedem pro habitatione dent, & uelut propugnaculum communis utilitatis sint: ut ne damnum sentiant, neq; alimonia destituantur, sed hanc habeant suorum laborum consolationem. Sanè si uel rationes, uel mutuas syngraphas, uel propriæ manus scripta quæpiã ediderint, edunt, aut ipsi illis, qui cum ipsis contrahunt, aut illi ipsis, in quibus pecuniarum illatio & solutio descripta sunt, quæq; ipsius mensæ præpositi, ipsius etiam amanuensis, (quos Samaritanos uocant) & eorum rursus, qui cum ipsis contraxerunt, literas præferunt, aut per omnia illius, qui cum ipsis cõtraxit, manu scripta sunt, subscriptionem uel habent: nõ poterunt, qui cũ ipsis contraxerunt, pecuniarum quidem illationem, quam argentarij in commentarijs, aut à se scriptis breuibus descripserunt, agnoscere, atq; inde in ipsos exactionem constituere: expeditionis uerò solutionisq; tanquam facta non sit, descriptionem refellere: neq; rursus poterunt argentariæ mensis præpositi solutionem quidem exigere, illationem uerò non agnoscere. Verùm si aut ex antisyngraphis, aut ex ratio cinijs, aut ex propriæ manus scriptis probetur, & de illatione & de solutione literarum ueritas, utrunq; omninò firmum & ratum erit: neq; unum quidem aduersus ipsos obtinebit: alterum uerò pro ipsis irritum fuerit. Exigetur autem quantum ratio ciniã perhibebunt: nisi altera aut utraq; pars in calculo se errasse, aut in usuris dispendium sustinuisse demonstrat. Si enim tale quid euidenter monstratur, id quo quisquã iustitia & æquitate fruatur, correctione distinguendũ esse statuimus.



mus. Hoc uerò etiam nos docuerunt, quomodo quidam illorum postquam à pluribus aut uice mutua inter se fideiuentibus, aut alijs pro alijs mandantibus, obligationis confessiones abstulissent, deinde debiti longè maximam partem percipissent, ut reliqua perquam exigua essent, reliquorum nomine extrinsecus ab uno aut duobus illorum obligatione capta, quòd intra certum tempus isthæc persoluent, apochas fortè aut liberationis confessiones omnibus ediderint: & quum aut unum aut plures eorum, qui reliquorum obligationem subiissent, mori contigisset, hæredes quæ illo aut ab illis pecuniæ pacto promissæ essent, eas exoluere noluerint: Statuimus igitur, ut si hæc ita sese habeant, quæ pecuniæ in obligationibus comprehensæ sunt, & quas defunctus aut defuncti scripto pacti fuerint, hæ ab hæredibus cum pactis usuris exigantur. Quòd si qui datis pignoribus ab illis mutuati fuerint, aut mutuentur, deinde etiam in mutui syngraphis permiserint, aut permittant, ut pignoribus pro ipsorum bona fide diuenditis, eorum precium in debiti solutionem imputaretur: ipsi uerò hoc fecerint: ne molestijs illi implicentur, neque propter hoc negocia sustineant: sed iuratis, quanti pignora uendiderint, credatur, idque ipsis ad omnis improbitatis abolitionem suppeditet. At si quis non interueniente scriptura mutuatus, pignora obfignata, aut non obfignata det, necesse habebit, qui mutuatus est, ut aut pignora recipiat agnoscens sigilla: uel ipsa etiam pignora non obfignata, & adimpleat sortem pactasque usuras: aut si pecunias non habet, ad iustam æstimationem illa relinquat, & reliqua expleat: neque dicere poterit, pignoribus, quanquam minus ualeant, creditorem contentum esse oportere: sed omne debitum, quod non pactis usuris in rationem deductum fuerit, omnibus modis adimplebit. Si uerò datis pignoribus, siue obfignatis siue non obfignatis, mutuati tempus præfinitum sit, ac intra id non satisfiat, tantumque elabatur alterum, liceat ipsis, præsentibus tabularijs, sacrisque eloquijs in medium propositis, & æstimatoribus adhibitis, diligenti æstimatione facta, illorum precium constituere, ac siue ad plenum debitum, siue ad eius aliquam partem sufficiant, sibi imputare atque assignare. Huic sanè etiam medicinam adhiberi cupierunt, ut quoniam mutuo & dando & accipiendo, pro alijs etiam spondendo, & denique usuras pendendo uitam tolerant, ne ipsis in mutuatiōibus nostra opponatur constitutio, qua nemini ultra duplum accipere quicquam permittimus, si quidem quantum fors & usura faciant, persolutum sit. Nos igitur in posterum eam legem omninò uiolari nolumus: quod uerò præcessit, quia nondum infidijs obnoxium sit, hinc ipsis medentes sancimus, ut in contractibus, qui reuera argentariorum sunt, ad hodiernum diem factis, facultas ipsis sit, ut licet in ijs debitis usuræ supra duplum datæ sint, nihilominus tamen quæ debentur cum constitutis usuris exigant, ita ut neque in usuras, neque in primitiuum debitum, quæ supra sortem iam soluta sunt, imputare compellantur: & ne ipsis in hac specie, & quidem sola nostra de duplo constitutio obstet, quo minus secundum contractuum naturam hæc exigant. Verum neque ipsi aduersos eos, qui cum ipsis iam contraxerunt, nostra constitutione abuti, neque solutas iam usuras, aut duplo usurarum, aut primitiuo debito, imputare poterunt. Quando quidem uerò postquam argentariæ mensæ præpositis, excepta armata militia, cum omnibus alijs militijs in hac alma urbe commercium instituere permisimus: illique deinde cum mutuuum dedissent, aut etiam darent, bessales usuras (quantas argentarijs concessimus) stipulati sint: hi illiberaliter hoc ipsis opponunt, quòd dicunt, ipsos non, quæ argentarijs, sed quæ militarijs conueniant, usuras capere oportere. Hanc eorum iniquam & improbitissimam obiectionem uacare, nulliusque momenti esse, & quæ pacto conuenierint, aut etiam conueniant, obtinere uolumus. Neque uerò id nobis placet, quod de argentariorum contractibus nonnulli petunt, ut omninò non dentur, aut sortes aut usuræ, uel (id quod ijs etiam peius est) ut quæ legitimæ usuræ dantur, sortibus imputentur. Etenim hoc quoque in contractibus, qui cum argentarijs initi sunt, aut incantur, obtinere uolumus. Vnum certè & hoc eorum est, quæ illi inter supplicandum proposuerunt, quod persæpe nonnulli, qui ipsis obnoxij sunt, quum illi alios obnoxios habeant, ab istis sibi non satisfaciant: sed id prætexu dotis, eorumue



eorum uic quæ præter dotem data essent, aut aliorum etiam debitorum, suis uxoribus soluendum, ab ijsq; apochas siue solutionis probationes ferendas curent: & quòd quum illi ad inopiam deuenerint aut deueniant, uel mortui sint etiam, aut postmodum moriantur, ipsæ uerò tum debitū accipere uelint uxores, licet latenter illa acceperint, aut postea accepturæ sint, integra tamen ipsis debita opponant, ut ipsorū prorsus omnis spes concidat. Petierunt autem, ut si quid istiusmodi factum sit, aut posthac (ut consentaneum est) fiat, necesse habeant qui apochas liberationem uic à mulieribus acceperint, aut etiam si quis contractus factus sit, aut omninò faciendus est, hæredibus ad probationem eorum quæ gesta sunt deuo catis, eas, eumq; proferant: ne uxores, quibus nihil debetur, emolumentum sentiant, ipsi uerò quibus debetur, defraudentur. Statuimus nos uerò, ut si tale quippiam factum sit, aut fiat, necessariò illi instrumenta proferant: attamen absq; omni suo incommodo, & ut nullum damnum ex prolatione sustineant (memores enim sumus nostræ constitutionis, quæ ad acta literarum, ex quibus quis ius quippiam suū tueatur, prolationes innoxias ijs qui protulerunt, esse uult) sed proferant illi quidem instrumenta & recipiant. Et si quidem inde aliquam utilitatem, qui aduersus mulieres probationem fieri cõgerint, habere possint: hanc secundum legem ex ipsis sentiant, nullo prorsus damno, qui protulerunt, ob prolationem afficiantur. Quòd si mutuis syngraphis cum aliquo pacta, liberationes, aut etiam qualescunq; conuentiones instituerint, aut posthac etiam instituant, & quæ apud ipsos manserint, modo aliquo (quod facile est) petierint: uolumus, ut qui aduersarias syngraphas habent, eas proferre, aut se nihil istiusmodi habere, uel proferre posse, iusiurandum dare cogantur. Quod iusiurandum ubi apud acta monumentorum præstitum fuerit, nõ ulterius illos molestia affici oportet. Nemo uerò in exigendis sportulis, iudicialibusq; expensis, pœnam quæ talia committentibus imminet, reueritus, constitutionis nostræ modum transcendat. Quoniam deinceps quando petere semel cœpissent, hoc etiam petierunt, ut tua excellentia curam ipsorum suscipiat, quibusq; ipsi controuersijs impetuntur, eas audiat, & si quos obligatos habeant, aut alij ipsos, his uel peculiaris iudex audientiam præbeat (propterea quòd exacta cura, quæ ad leges pertinent, tractes, ac cuiq; suum ius tribuas, & faciliè rationem inuenias, quæ quæ ualde difficilia uidentur, quæq; alij non assequuntur, nec intelligūt, dissolui queant) sancimus, ut secundum ea, quæ à nobis constituta sunt, & ipsos siue actores, siue reos in peculiaris iudicis modū audias, & præterita secundū hanc legem componas: & quando æquum esse uidebitur, futuris curam adhibeas, ut legitimum quoddam ipsis ac decens à nobis accidat auxilium. Conuenit enim, ut qui pro omnibus se obstringunt, ac cuiq; utiles se exhibere student, eximio etiam aliquo fruatur auxilio. Et certè quæcunq; & hoc tempore & olim, aut ex nostris legibus, aut ex sacris pragmaticis formis concessa ipsis sunt, illæ sa rataq; conseruantor, & in speciebus rerum iam gestarum, atq; etiam gerendarum locum habent. Quæ igitur nobis placuerunt, ac per hanc sacram pragmaticam declarantur legem, ea gloria tua, & quicunq; alius reipublicæ nostræ iudex, firma seruat. Extat & alia de argentariorum contractibus constitutio, centesima trigesima sexta, quæ incipit sic, Qui in corpore ac collegio cõsistunt argentariorū huius almæ urbis, hi supplices apud potentiam nostram facti, de multis nos capitulis petierunt, potiri cupientes auxilio, ut qui, quum multis se utiles præbeant, nihil aliud exinde habeant, quàm constitutæ pecuniæ & mutui obligationes ex omni parte periculi plenas. Item Edictum aliud diui Imperatoris Iustiniani seu forma pragmatica de Argentariorum contractibus, incipiens: Quemadmodum uirtutis uis in rebus aduersis semper elucet, ita etiam Imperatoria cura & gubernatio in subditorum controuersijs manifesta sit, Et optandum quidem nobis est, ne quid unquam reipubl. nostræ aduersi eueniat, &c.

\*

H



POLITIAE IMPERIALIS CONSTITVTIO,  
*In Caput decimum octauum politiae Imperialis, Annot.*  
*Doct. Iustini Gobleri.*



T in ciuitate ac politia facilis rerum communicatio esset, quum citra eam societas hominum consistere non possit. Cum enim singuli in ciuitate rebus, quas ipsi non habent, indigeant, & seruata aequalitate legitimis commercijs, contractibus, emptione, uenditione, mutuacione, locatione, conductione &c. res equabili & legitima communicatione transferendae sint: monopolia uero & singulares ac priuatas negotiationes in ciuitate exercere, non tantum bonis moribus, uerum etiam legi naturae contrarium sit, Imperator noster hoc capite illa reprehendit & abrogat. Quid enim politijs & rebus publicis perniciosius est, quam avarae illae nundinationes & monopolia, quae sceneratoribus tantum & avaris negociatoribus contra leges ipsas & Imperatorum constitutiones deseruiunt, quo uitio non aliud tetrius uel odiosius, adeoque etiam turpius, uel sceleratius est, quidue fordidius, quam ita emere, ut carius uendas. Detestantur enim leges monopolia & propolas. Si quis (inquit Imperator Zeno) monopolium ausus fuerit exercere, bonis proprijs expoliatus, perpetuitate damnetur exilij. *L. iubemus. C. de monopolijs, & conuentu negociatorum illicito.* Monopolium autem definiunt esse, quando penes unum est uendendi potestas, hoc est, cum unus, uelut plerumque fit, cum paucis secum admissis, exercet ac emir aliquod mercaturae genus, ut solus precium pro suo arbitrio statuatur, & ut libet, uendat, ut sic augendo precia rerum suae deseruiat avaritiae, ac alijs omnibus noceat, qua arte priuatum quaestum, lucrum & commodum promouet, & legitimum per mutationis usum impedit ac remoratur. Quid enim propolae nostrates, & horum temporum mercatores circumforanei aliud sunt, quam magna ex parte fordidum negociatorum genus, qua druplatores & sceneratores, qui technis, mendacijs, imposturis, fucis, undecunque lucellum uenentur, hic coementes, ut ibi pluris duplo aut triplo uendant: nimirum suis strophis & nundinationibus promiscuam & miseram plebem expilantes, nec aliud ferè agentes in uita, quam obrem eiusmodi *καπηλική*, uelut naturae & legibus contrariam, cuius finis tantum est fordidus quaestus, damnarunt honesti mores, & optimi legumlatores: econtra uero illam negociationem, qua Respubl. augetur, & precia rerum faciliora fiunt, optimi legumlatores non improbarunt. Propolas autem & negociatores, qui merces praemunt minoris, ut postea pluris uendant, execrantur leges & bonae politiae, quemadmodum fit hoc in foro saepe multumque ac frequenter. Quare Plautus Comicus in *Aulularia* sua hoc genus hominum, propolas, linteones, calceolarios suo more subsannat atque uituperat, & rectè monopolia aequè atque monopolitae tanquam avaritiae mancipia à Republica prohibentur & condemnantur, in titulo *Cod. de monopol.*

Est enim detestabile crimen, monopolion, cum uidelicet penes unum aliquem, aut paucos solos tota alicuius rei uendendae potestas est: & haec quam sit in Republica perniciofa, quantumque communi plebeculae detrimenti adferat, uel hinc manifestum fit, quod ex eo rerum omnium caritas in ciuitatem confestim erumpat. Et tamen apud plerosque Magistratus nihilominus frequens & impunitum usurpatur, quamuis hoc malum leges & constitutiones Principum grauius puniendum censuerint, atque uetauerint, ne penes unum aliquem aut paucos rerum uictualium uel annonae emptio aut uenditio esset. Siquidem omnes propolae, mercatores & negociatores, qui collusionem pactioneque inter se facta res uendibiles aut merces, ut triticum, carnes, pisces, holera, butyrum, caseum, oua, pullos, capones, brassicas, pyra, poma, uina, oleum, ceruicias, sal, saccharum, syrupum, oliuas, capparas, uuas passas, piper, gyngiber, cinnamomum, crocum, grana, hordea, auenam, siliginem, ac id genus reliquorum frumentorum, uel aroma-

tum,



tum comestibilia ac potabilia omnia, quantum in se est, ab agricolis emunt, ut postea conciuēs sui, ab ipsis solis isthæc singula carius redimant, eiusmodi exitiali auaritia, quæstusq; uitio correpti laborâtes, iure odiosi habentur, & cōmuni Rei publicæ perniciosi existimantur. Idem censendum est de alijs mercibus, uidelicet lana, lino, ferro, alumine, corio, lignis, pannis, uarijsq; & infinitis mercimoniorū generibus, quæ breuitatis studio percensenda omnia iam omittenda putamus. Hi (inquam) perniciosi monopolæ & propolæ, quum rerum plurium afflictæ annæ & caritatis sint occasio, atq; rempub. grauiter lædant, meritò in eos animaduerti iubet Imperator noster, quum multis grauissimis, tum etiam proscriptione & exilio, iuxta tenorem huius suæ constitutionis, ex qualitate perpetrati delicti ac transgressionis: quò etiam respicit l. unica §. si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis proprijs expoliatus (ut suprâ meminimus) perpetuitate damnetur exilij. C. dicto titulo, de monopol. & conuentu negociatorum illicito. Dominus Franciscus Lucanus in suo tractatu celeberrimo, in secunda parte principali, de casibus bonorum publicandorum, num. 5 & 6. de fisco & eius priuilegijs. Item D. Ioannes Berberius, in suo Iuris uiatorio in Rubrica, de collegijs illicitis & monopolijs. Delinquent etiam ceu monopolæ, qui astu quodam efficiunt, ut agricolæ uictualia necessaria ad forum non conferant, sed ipsi eò gregatim conuolent, & ibi in uillis omnia cōmunt, quæ in suas ædes conferunt, & singulatim paulatimq; tanti ferè ciuibus alijs communibus uendunt, quanti uelint ac libet. Iam & monopolæ propolæq; delinquent, committentes in leges et constitutiones imperatorias, qui ex astu & uafricie, quæstusq; priuato merces quas cunq; usui hominum necessarias, non ad forum publicum efferunt uel exponunt, sed intra priuatos parietes clandestinè diuendunt, quum id dolo malo facere non liceat.

Iura enim monopolis & propolis huiusmodi, talia facientib<sup>9</sup>, multâ decernunt uiginti aureorum, cum restitutione totius damni, quod ciuitas ex eo passa sit. l. 2. ff. ad l. lul. de annonâ. Ac quidem ad huius criminis accusationem admittuntur singuli, etiam si essent personæ in alio crimine accusando inhabiles. Verum autem cum nemo de iure cogatur suum uendere triticum, aut alia ad uictum & amictum spectantia (sicut l. inuitum, & per scribentes ibidem. C. de contrah. empt. et uend. & l. nec emere. C. de iu. deliber.) ideò in hoc monopolij crimine sanè ac cum multo sale omnia intelligenda erunt, idq; ex æquitate ipsa totum metiri oportet. Ut si quispiam mercator esset, apud quem unius rei mercis uel copia multa proflaret (alijs quippe mercatoribus omnes easdem res diuendentibus) hunc iura non cogent, ut res istas singulis diuenderet minoris, quàm ipse emerit, aut quàm prius alijs easdem diuendidisset, aut quàm eo ipso tempore, uel actu uenduntur, l. imperatores, in exordio ff. ad l. lul. de anno. Si quidem illi ex laboribus lucrandum esset, & foro accommodandum, nisi forsan ea ingrueret rerum omnium difficultas acannonæ caritas, ut uulgus per inopiam subiaceret periculo uitæ. Eo enim rerum statu Princeps aut Magistratus aut Rector prouinciæ seu patriæ, talibus rebus præcipuè uictualibus & ad annonam pertinentibus, rebus ita cogentibus & ex necessitate, precia instituere posset æqua certaq; rationi consona, ut hoc modo ciuitati rei<sup>9</sup> publicæ suæ consulat, ne aut fame, aut rerum penuria aliqui moriantur. l. annonam & ibi Bart ff. de extraord. crimi. & d. l. Imperatores. & l. cura carnis, & ibi Doct. ff. de off. præfect. urb. Victuarij seu prouisoires exercituum, qui tempore belli uictualia sua non conferunt, aut etiam conferre differunt, aut fortè aliò conferunt, quàm ad exercitum sui principis, ut pluris ea diuendant, aut alibi pluris uendant, puniendi utiq; sunt, ut alibi etiam diximus, confiscatione bonorum, aut exilio. Quòd si ea uictualia deserant clandestinè uel secretò, directè aut indirectè ad hostes, uel castra aut ciuitates hostium, plectendi illi sunt capitaliter, cum confiscatione bonorum, uel uti proditores & criminis læsæ Maiestatis rei. At qui tempore caritatis, afflictæq; annonæ studet pecunia aut aliàs callidè è ciuitatibus ac regionibus efferre clam rem frumentariam, uictualiam, aut annonam, non obstante interdicto, ut ea alibi carius uendat: is monopolium committit, & puniendus est arbitrariè, potissimùm,



quum ab earum rerum seu mercium auectiōe uel exportatione, seu monopolio, ciuitas magnum & ingens detrimentum passa fuisset. Monopolium porrò etiam committunt opifices, qui inter se in scio Principe & Magistratu quasdam leges statuunt, quibus carius conciuibus suis laborent, ac desuper pacta inter se ineunt, ne quis eorum minoris operetur uel laboret, & opera perficiat, quàm precio inter ipsos constituto, idq; precium sit iniquum, et nimis enorme, nec cum uicinis ciuitatibus consentiens, sed suam Rempub. aut ciuitatem admodum grauens. Idem propemodum de Medicis, Pharmacopolis, Myropolis, & Chirurgis censendum est, adeoq; de Iudæis, planis, circumforaneis & circulatoribus, *Μυροπώλαις*, qui murium stercora pro pipere, opium pro apio diuendunt, quorum planorum & impostorum totus mundus refertus est, qui erroneis similibus iniquis actibus & contractibus inter se, & enormibus precijs Rempub. grauant, & ad iniusta precia dependenda tali ratione & modo suos ciues compellunt. Porrò quoq; monopolion agunt Ianiones, qui coniunctis oculis & marsupijs omnia circumcirca coëmunt, apud sese retinent, quemadmodum & piscatores, pisciumq; uenditores nostri, postmodum ad certam tantum quantitatem ad macellum & forum piscatorium deferunt, ut omnia mox paulum uerso pede carius diuendant. Deinde sunt qui certas leges inter se constituunt, ut omnem carnem inflent, ut frustra grauiora & maiora, ac elegantiora tantum appareant, adeoq; etiam adipe dempto, intestinaq; quanto libeat precio distrahant. Exercent quoq; monopolia sua artopœi, pistores, bractores, coctores ceruisiarij, œnopolæ, caupones, nautæ, stabularij, & in genere omnes pleonectici negotiatores, opifices, manuarij & operarij, qui mutuis collatis ad hoc cõsilijs & operis procurant, statuunt & ordinant quippiam, quod ad proprium quæstû, lucrû & commodum spectare & pertinere uideatur, in præiudicium & perniciem Reipublicæ. Qui profectò omnes & singuli plectendi puniendiq; sunt multis, pro qualitate admisi, suisq; facultatibus, secundum leges & constitutiones, Magistratumq; ordinationes, maximè in ijs locis, ubi ea monopolia tractantur, aut certè ad discretionem & arbitrium Iudicis. Multò minus omittenda uel posthabenda sunt, quæ de hac re hoc loco tractantur per sacratissimam Cæsaream Maiestatem diui Imperatoris nostri Caroli Quinti, nominatim in diplomatibus annorum tricesimi primi & quadagesimi, minoris numeri. In quibus prohibentur omnia monopolia, quæstus, & contractus monopoliales, propoliales, constitutiones & ordinationes, quas aut institores, negotiatores, mercatores, aut rerum uenditores, aut artifices inter se commentantur, & comminiscuntur, uel statuunt, in præiudicium, & graue detrimentum suorum conciuum: uolens utiq; in illis diplomatis idem æquissimus Imperator, omnes tales constitutiones, per Electores, Principes, Status, Præsides, Magistratus, & officarios Iuri & æquitati consonum obseruari: in contrarium uerò quidquid fiat, esse rescindendum, abolendum, nullumq; declarandum, uelut ibi manifestè apparet legenti. Hæc uide multò prolixius et elegantius tractata per clarissimum et doctissimum uirum dominum Iodocum Damhauderium Pragensem V. I. Doctorem, & Caroli V. Cæsaris in sua inferioris Germaniæ finantia consiliarij & commissarij, Enchiridio praxis rerum criminalium, capite centesimo tricesimo secundo, de Monopolio.

Ad hoc sciendum est, qui quondam Romæ annonam cariorem (quod etiam monopolij quædam species est) faciebant, eos in legem Iuliam de annona incidere: qui uerò id ipsum in prouincijs admittebant, extraordinarium crimen admisisse. Quamuis autem ij, qui in prouincijs annonam attentarant, onerarentur, extraordinaria pœna plecterentur, iuxta l. annonam. ff. de extraord. criminib.

Huc & pertinere arbitror leges sumptuarias, quarum pleræq; apud ueteres Romanos præsertim fuerunt, ueluti passim uidere est apud historicos, & Ciceronem, in suis Orationibus, de quibus supra quoq; in cap. 15. nonnihil ex Gellio & Macrobio recensuimus.



In Caput decimumnonum politiæ, Annotationes.  
D. Iustini Gobleri Goarini.



VA in prouincia uel ciuitate cura agitur publicæ anno-  
næ, in ea etiam frumentorum, reiç; frumentariæ ratio  
habetur. Quapropter apud ueteres Romanos frumen-  
tariæ leges extabant, quarum hic etiam Imperator noster  
mentionem facere, easç; rebus publicis & ciuitatibus Im-  
perij commendare uidetur. Meminit illarum legum Ci-  
cero in tertio Tusculanarum quæst. libro, ac alibi frequen-  
ter in Orationibus suis. Itē Marcus Varro citat leges colo-  
nicas lib. 1. de re rustica, cap. 2. ubi sic ait: Atq; etiam leges  
colonicas tollit, in quibus scribimus, Colonus in agro furculario ne capra  
natum pascat. Meminit quoque legis frumentariæ Autor ad Herennium lib. 1.  
Cæterum placuit tres pulcherrimas sanctiones & cōstitutiones diui Imperatoris  
Iustiniani Augusti, uidelicet 32. 33. & 34. de eadem re subnectere, id est, ne quis  
mutuum dans agricolæ, terram eius teneat: item quàm magnas usuras credito-  
res ab agricolis debeant percipere. Vbi sic statuit: Rem duram, & quæ omnem  
longè impieratem & avaritiam superat, communi lege quasi medicina quadam  
curare nobis uisum est, quæ non in præsentem tantum necessitate, sed per omne  
deinceps æuum suo in Repub. munere defungi queat. Comperimus enim  
nonnullos in prouincia, cui præsidēs non dubitasse captato ad hoc de industria  
sterilitatis frumentariæ tempore, sub modica admodum mensura frugum mu-  
tui cum aliquibus contractum celebrare, & ex eo uniuersam illorum terram ad  
se recipere, ut pleriq; ea occasione rusticorum diffugerint, plerique etiam fame  
perierint, & tetra quædam lues ac contagio exorta sit, in nullo penè barbarica  
incurfione inferior. Sancimus igitur, ut quicumque agricolis quantumcunque  
mensuram quorumcunque aridorum fructuum crediderint, si ab his receperint  
circa ullam exceptionem, hæc illis restituant: nemini prorsus audente per cau-  
sam prædictorum mutuorum, siue scriptura interueniente, siue scripto cele-  
brata sint, terram penes se detinere: octauam duntaxat modi partem in sin-  
gulos modios per integrum annum usurarum nomine ferentes, si fruges mutuo  
datæ erunt: si uerò pecunia numerata, in singulos solidos, singulas annuas fili-  
quas.

Nota. Solidus est genus nummi, quod pro aureo accipitur. Siliquam ue-  
rò sumunt pro folliculo seu integumento, ubi grana leguminum includuntur,  
& si quid leguminibus simile. Plinius intelligit de fabis. Cæterum de reliquo  
contenti creditores octaua modi parte in singulos modios per annum (aut  
quantumcunq; manet pro portione crediti) aut siliqua, omninò restituant, siue  
terram, siue aliud quiddam, boues fortè, aut oues, aut mancipia pignori cepe-  
rint. Atque hæc lex omnibus humanitatis & pietatis de se specimen præbeat,  
& tam egenorum necessitati medeatur, quàm creditoribus non nihil adferat so-  
latij. Quæ itaque nobis placuerunt, ea claritas tua effectui, finiç; tradere stu-  
deto: scituro creditore, quòd si hæc contra facere aliquid ausit, ex actione ca-  
det: & qui mutuum accepit, quiue iniuriam pertulit, ex eo solatium habe-  
bit, quòd tum ipse à facessendo negotio liberatus, tum creditorem in rebus  
suis iacturam pati uideat. Dat. 15. Iul. Constantinopoli. Belisario V. C. consu-  
le. Constitutio 33. Imp. Iustiniani, de his qui mutuum dant agit. Pro-  
pter avaritiam creditorum, qui angustia temporum abutentes, terrulas infeli-  
cium agrestium sibi adquirunt, pro pauco frumento omnem illorum substan-  
tiam retinentes: legem posuimus, quam primò quidem in Thraciam, & in om-  
nes eius prouincias, in præsentem autem & in Illyricanas prouincias direximus,  
cuius exemplum sub di etiam præsentem legi præcipimus, ut non solummodo pri-  
uati homines putent, legem contra se esse propositam, sed etiam milites alio-



re nitentes fastigio, legem contra se esse prolatam existiment. Vt ergò & tua magnitudo sciat, quòd communis hæc lex posita est, & prouincialibus & militibus, & omni cingulo, nulla excusatione cuiquam competente, ideò ad tuam sublimitatem præsentem legem destinauimus: scituris militibus, qui præsentem legem non esse obediendum existimant, quòd cingulo denudati, inter priuatos habebuntur, pœnis, quas in anteriore lege posuimus, nihilominus subiugandi.

Constitutio 34. Imper Justiniani Augusti. Ne quis, quòd Agricolaë mutuam pecuniam dedit, illius terram detineat, & quem usurarum modum creditores accipere debeant ab agricolis.

Rem duram atq; inhumanam, & quæ ultra omnem impietatem & auaritiam sit, perspeximus lege saluberrima sanare, & communem omnibus deponere medicinam, non tantum in præsentis necessitatis tempore, sed etiam in omni æuo futuro. Venit enim ad nostras aures, quosdam in ea ipsa prouincia, quam tu administras, auarè temporum necessitate captata fceneraticios fecisse contractus, & paucam mensuram dantes, terrulas eorum abstraxisse, et ex hac causa quosdam colonorum fugæ latebras petiisse, alios fame esse necatos, & tristissimam pestem homines inuasisse, incursionem barbaricam non minorem. Sancimus itaq; omnes huiusmodi creditores, quantumcunq; uel tritici, uel hordei, uel in alia specie, quæ in fructibus aridis est, dederint, hoc reddito, in præsentem cum parte modij octaua per singulos modios in uno quoq; anno præstanda, terrulas colonis restituere, nemine penitus eorum audente terrulas detinere sub occasione fceneraticia cautionis, siue in scriptis, siue sine scriptis credita sint contracta. Sin autem pecunias dedit, nihil amplius quàm siliquam unam p singulo solido annuam præstare. Et hanc saluberrimam legem in omnes extendimus, in præsentem quidem tempore initium accipientem, in omne autem æuum modis omnibus obseruandam, ut si quando fuerit uel triticum, uel hordeum fceneratum, uel alij aridi fructus, creditores, tam quod dederunt accipientes, quàm pro usuris octauam modij partem annuam pro singulis modijs, uel siliquam pro singulo solido, secundum hunc modum, in quantum fcenus permanserit, percipientes, siue terrulas, siue aliud in pignus acceperunt, boues fortè uel pecora uel mancipia, hæc modis omnibus reddant, & hæc lex communis omnibus sit, humanitate & pietate gaudens, neq; non omnibus egenis consulens, & creditoribus mediocre solatium adferens. Hæc igitur quæ à nobis statuta sunt, claritas tua in omni prouincia, quæ tuo moderamine gubernatur, obseruare festinet. Scituris omnibus creditoribus, quòd si aliquid præter hoc commiserint, ex actione cadent, & cui fcenus ablatum est, hoc habebit solatium, ut ipse quidem securus degat, auarum autem creditorem uideat in suis pecunijs patientem iacturam.

Atq; eò maior hic à magistratu habenda erat cura, & facienda prouisio in ciuitate, ad retinendam hominum societatem in quotidianarum rerum uictualium et annonæ medio criac tolerabili conseruatione, quòd latius hoc quæstuosæ propositarum & quæstuosæ artis in ciuitate ex latente fraude & dolo serpit uitium. Vbi enim (quemadmodum hîc in foro Francofortensi) τῆς καπηλικίας, decipiendi, fraudandi, & delinquendi maxima & plurima existit occasio, ibi cum primis erat refrenanda hominum audacia & libido, iuxta leges & hanc Imperialem constitutionem. Faciunt tituli suprâ dicti, de Monopolijs, & propolis & c.

*In Caput 20 politiaë Imperialis, de Iudæis & eorum usuris,  
Annotationes Doctoris Iustini  
Gobleri.*

SVPRA





VPRA memoratum est ex capite decimoquinto Deuteronomios, à Moysè Iudæis scenus aut usuras in uindictam gentium permissas fuisse: nunc autem cum eorum politia per Messiam filium Dei IESVM CHRISTVM Dominum nostrum Saluatorem prorsus sit abrogata, abolita, & extincta, nescio qui fiat, ut in perniciem Rerum publicarum, non solum Imperij Germanorum, uerum etiam uniuersæ Christiani orbis scenerationes & usuræ Iudæis permittantur, præsertim hoc loco, salua pace, sitq; uenia uerbo, & in alijs nonnullis Romani Imperij liberis ciuitatibus, contra hanc, aliasque imperiales constitutiones & ordinationes: nisi enim Regalia & Priuilegia ad scenerandum illis indulgerentur, cogendi erant ad seruitia quæque publica exequenda & præstanda, nam eò nos Christianos proculdubio, si sub eorum essemus potestate, quemadmodum quoque Turcæ hodie faciunt, adigerent atque compellerent. Non enim uel in ueteri Testamento sub Prophetis & Moysè licuisset scenerari Iudæis suis meritis aut lege communi, nisi etiam hanc pœnam Deus super gentes Idolatras, quam per Iudæos, uelut iræ suæ organa, plectendos duxit, uoluisset effundere: quod tamen hac ipsa licentia eis non licuisset, nisi certo & aperto uerbo Dei iussi, & ad organa talia electi fuissent. Neque enim ipsi meliores erant ullis gentibus, nisi quòd Deus eos in suum populum sola misericordia elegit, & assumpsit, ita ut si rem iuxta diui Pauli sententiam ad Romanos certè reputemus seu consideremus, non Iudæi ipsi sunt, qui de gentibus scenerantur, sed Deus est, qui scenore Iudæorum gentes punit & persequitur. Quod ex eo quidem satis probatur, dum Iudæos sibi inobedientes & peccantes, rursum subiecit ac tradidit gentibus, adeoque nobis Christianis ipsorum dominis. Ut uerè sibi ipsi uaticinati sunt, dicentes: Non habemus regem, nisi Cæsarem Romanum: ac uideant, in quem compunxerunt, & sic uicissim Iudæi à gentibus & Christianis non solum scenore, hoc est, exactionibus, uectigalibus, tributis perpetuis grauentur, sed & omni contumeliarum genere uenientur, nimirum quum politia eorum sublata sit, & deserint esse populus Dei, cumq; ipsi impietate & blasphemia sua in Christum meriti sint iram Dei, non est eis permittenda usura, sed cogendi sunt sub leges gentium & Christianorum, inter quos uiuunt: uelut plerique docti & pii sentiunt. Porro autem uisum est ad hoc capitulum Imperialis Politicæ non nihil facere ipsius Imperatoris Caroli Quinti declarationem & constitutionem, Augustæ Anno 1551. in mense Martio factam, sub hoc tenore:

Carolus Quintus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Castiliæ, Arragoniæ, Leonis, utriusque Sicilia, Ierusalem, Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ, Nauarræ, Granatiæ, Toleti, Valentia, Galliciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ, Murcia, Sionis, Algarbiæ, Algeræ, Bibraltaris, Canariæ, & Indianarum Insularum, ac Terræ firmæ, Oceanicæq; maris &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Lotharingiæ, Brabantia, Stiria, Corinthia, Crania, Limburgi, Lucemburgi, Geldria, Calabriæ, Athenis, Neopatria, & Vuirtembergæ &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Gertiæ, Barinæ, Arthosi, Burdiosi &c. Comes Palatinus Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Phirdæ, Kiburgi, Namurci, Rossionis, Ceritaniæ, & Zutphania, Lantgrauus Alsatia, Marchio Burgundiæ, Oristani, Ganoniæ, & sacri Romani Imperij Princeps Sueuiæ, Cathalonix, Asturiæ &c. Dominus Phrisiæ, Vandalorum, Marchiæ, Portenaia, Biscaia, Molini, Tripolis & Mechliniæ &c. Fatemur palàm his literis, ac notum facimus uniuersis, postquam in nostra, & sacri Imperij Politica ordinatione in his Comitibus anni quadragesimi octauis, minoris numeri, consilio ac ope nostra, ac Electorum Principum & Statuum, absentiumque consiliariorum & legatorum, in sceneratijs, & usurarijs contractibus prouisionem fecimus, ac seuerè mandauimus, eosdem à nemine exerceri, sed penitus caueri, ordi-



nem ac modum in specie dantes, qualiter Iudæis in sacro Imperio, & quousq; contrahere ac mutuo dare liceat, sequè in ijs gerere debeant, præsertim quòd omnes & singuli Magistratus & superioritas, sub quibus Iudæi morantur, necessariam debitamq; prouisionem faciant, æquam legem & rationem præscribendo, ne qua ipsorum, aliorumq; subiecti nimium grauarentur. Atqui uerò nobis ipsi Electores, principes, Statusq; imperij, & absentium consiliarij & legati iam in hisce nostris Comicijs huius anni currentis proposuerunt, quomodo et qualiter dicti Iudæi, ubi nequeant palàm aut manifestè scenerare, usurasq; exerce-re, id tamen clandestinè quocunq; quæsito colore, quaq; uia possint, studeant ac moliantur, dentq; omnibus modis operã ad scenus acquirendum exercendūq;, sic quidem ut usura pro sorte in priuatis obligationibus & cautionibus comprehendatur & exprimat: quodq; iniqua illa sua debita ac postulata seu actiones contra miseros Christianos maximo dispendio & grauamine, iniquaq; pleonexia consecuti alijs Christianis diuendant, & syngraphas siue obligationes ad ipsos emptores dirigant, qui postea defraudatos & obaratos debitores, ut plurimum ac uehementer urgent, adeoq; ex suis ædibus ac sedibus expellunt, cum graui tali omnium commemoratione atq; propositione. Super quibus grauaminibus & difficultatibus scenerationum contractuum denuò cum Electoribus, principibus & Statibus absentiumq; legatis & consiliarijs deliberandum esse censuimus, atq; statuimus, ne porrò Iudæi syngraphas aut obligationes coram quibuscunq; alijs, præterquam coram ordinario Magistratu, sub quo Christianus contrahens commoratur, conscribat faciãtue: ita tamen, ne eis legitimæ negotiationes & commercia in publicis ac liberis nundinis & mercatibus interdican-tur uel auferantur. Quòd si uerò syngrapha aliqua uel obligatio constituenda esset, ea coram Magistratu eius loci perficiatur ac constituatur: neq; Christianus aliquis de cætero cuiquam Iudæo actionem uel petitionem suam aduersus alium Christianum coëmat, aut Iudæus tanquam creditor alijs Christiano eiusmodi actionem ac conventionem aliquo pacto modòue cedat, aut in modum cuiusquam contractus tradat, sub pœna amittendæ actionis aut impetitionis, quem admodum ista omnia in proxima nostra & imperij Politica ordinatione prolixius comprehensa atq; expressa sunt.

Cæterum uerò quum Iudæi communiter in nostra & Imperij ciuitate Francofortensi habitantes & commorantes hoc tempore suppliciter significarunt, quòd honesti nostri & Imperij fideles Burgimagistri & consules ibi Francofordiæ iam pridem ante aliquot annos ipsis Iudæis honestam ac benè deliberatam ordinationem atq; decretum fecissent, per quod nemo grauari aut decipi posset, nominatim quidem inter alia sic, quòd in negotiationibus uel commercijs nulla usura pro sorte ac principali summa ponatur seu prætendatur, ac alijs plures articuli, per quos illiciti, dolo si ac fraudulentè contractus seu negotiationes caueantur ac prohibeantur: accidat tamen plerumq;, ut reputati homines & insignes personæ, ex ciuibus, institoribus & alijs, maioris & mediocris status inter & extrã liberas nundinas & mercatus cum Iudæis contrahant atq; commercia habeant in causis, quæ Christianorum sæpenumero fidem, ueritatem, & constantiam in contractibus & conuentionibus requirunt & exposcunt, adeoq; etiam fortunam & salutem eorum concernunt: qui nihilominus tamen uarijs de causis uereantur conditiones & qualitates suas Magistratui aperire ac reuelare, aut etiam alijs patefacere suam ipsorum tenuitatem, & idcirco tantum ad fidem & confidentiam communium legum ac iurium receptam formam ac modum hæcenus inculpatè retentam & obseruatam, negociari atque contrahere possint. Etsi uerò talismodi fiduciaria negotiatio sua spe, nostræ et imperij politias ordinationi, quæ tantum miseris ac simplicibus subditis prodesset, ne qua fortè sua simplicitate iniuria aut damno afficiantur, usui ac commodo esset futura, & instituta ac suscepta fuisset: attamen Iudæi ipsi simul et Christiani, qui prædicto modo cum ipsis agerent prætextu dictæ po-



itias ordinationis non admodum dextro intellectu sensuue, alijs uijs modisqz,  
 fiscalibus alijsqz iudicialibus processibus uexentur, perqz ea, quæ legitimis com-  
 mercijs & negociationibus cum Christianis, ad sustentandam eorū uitam (cū  
 alioqui nec possessiones nec alia commercia uel officia apud Christianos exer-  
 ceant) omnibus modis uacent, careantqz, quapropter obnixè precati, ut nostro  
 Cæsareo auxilio ipsis gratiosè subueniremus. Quandoquidem ergo Iudæi o-  
 mnes generatim tenore præcessorum nostrorum in imperio Romanorum ui-  
 delicet Imperatorum, & Regum ordinationibus & constitutionibus com-  
 muniter in omnibus casibus, in quibus nullæ prouisiones factæ essent, no-  
 stro & imperij communi Romano iure uti fruiqz poterimus: adhæc quo-  
 que à memoratis nostris antecessoribus, & nominatim à quondam di-  
 uo Cæsare Sigismundo, felicitis recordationis, undiquaque & uaria priuile-  
 gia ac libertates obtinentes præteritis annis confirmauimus. His igitur atten-  
 tis Iudæorum nostrorum Francofordiæ humili precationi locum dedimus, atqz  
 ita ex enumeratis alijsqz mouentibus causis, deliberato animo, bona delibera-  
 tione ac iustâ scientia declarauimus ac enunciauimus, id facientes his mediantibus,  
 ui, uirtute, potestate, atque ex plenitudine Romanæ Imperatoris Maiesta-  
 tis, scienter & uigore harum literarum, uolentes, iubentes & constituentes, si-  
 quis uel quæ ex Iudæis Francofordiæ habitans, cum Christianis, sublimis uel in-  
 firmi status mutaret, aut aliàs, exceptis casibus, de quibus dictæ politicae no-  
 stræ & Imperij recessus commemoratur, legitimè ac fideliter contraheret, tenore  
 dictorum communium Iudæorum securitatum & priuilegiarum quocun-  
 que loco, quouisqz tempore, præter liberas nundinas, annuosue mercatus id  
 contingeret, quod ipsis non prohibetur, eiusmodi contractus & negotiatio-  
 nes firmæ rataqz sint, & quocunqz in iudicio, si Christianis confiteatur debi-  
 tum, aut alio legitimo modo, ex communi scriptoqz iure probetur, prout de  
 iure agatur, procedatur & exequatur. Præterea quicquid dicti Burgimagi-  
 stri ac Consules ciuitatis Francofortensis pro speciali, honesta legitimaqz ordi-  
 natione, communi scripto Iuri conformi, præsertim Iudæorum personas con-  
 cernente, ac utrinque conueniente & pacifcente parte, uti ex more ac consuetu-  
 dine poterunt, quod quidem his mediantibus non abrogatum esse uolumus,  
 quin eiusmodi contractus firmos ac statos esse iubemus, siue æs alienum uel  
 debita, uel res alia sit quæpiam, ubicunqz locorum desuper experiatur de iure,  
 uel procedatur. Mandantes proinde ac iubentes, omnibus & singulis Ele-  
 ctoribus, Principibus, Ecclesiasticis & Ciuilibus uel Secularibus, Prælaris item,  
 Comitibus, Baronibus, Liberis, Dominis, Equitibus, Militibus, Vassallis, Ca-  
 pitaneis, Aduocatis ditionum, Vicedominis, Officiariis, Præfectis, Schultetis,  
 Burgimagistris, Iudicibus, Consiliarijs, Ciuibus, Communitatibus, ac omni-  
 bus alijs nostris & Imperij subiectis & fidelibus, cuiuscunqz dignitatis, status,  
 aut conditionis sint, seuerè ac firmiter his literis, ac uolumus, ut hanc nostram  
 Cæsaream declarationem & constitutionem ex omni suo tenore firmiter ac  
 strenuè obseruent, peculiariter uerò omnibus & singulis Iudicibus & Tribuna-  
 libus, ut super his ad requisitionem partium in iure, prout de iure agant, pro-  
 cedant, decernant, exequantur, & nominatos nostros Iudæos Francofordiæ,  
 suosqz successores, similiter & eos, qui horum uigore cum illis prædicto modo  
 contrahent, non impediant, non remorentur nec grauent, sed quietè conti-  
 neant atqz cōseruent nostro & Imperij nomine firmiter, nec in contrarium quic-  
 quam facientes, nec alijs facere permittentes, nulla uia modòue, sub pœna  
 nostræ & Imperij graui indignatione, adeoqz sub multa triginta Marca-  
 rum auri puri cauenda & euitanda, toties, quoties quisquam in contrari-  
 um fecerit, nostræ Cæsareæ Camere irremissibiliter præstanda ac persol-  
 uenda. Id uolentes ac iubentes acriter Attestante hoc ipso Diplomate si-  
 gillato nostro Cæsareo appenso, Dato in nostra & Imperij ciuitate Augu-  
 sta, die uicesima sexta mensis Martij, anno post Christi Domini nostri na-  
 tales



tales millesimo quingentesimo & quinquagesimo primo. Imperij nostri tricesimo primo: regnorum uerò nostrorum anno tricesimo sexto. Carolus. Vidit Anton. Perenotus. Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis proprium. Ioan. Obernburger subscripsit. Libet interim hunc iocum Italici Poëtæ in Iudæos subnectere. Baptista Guarinus ad Cæcilianū, cur Iudæi ferant literam(O).

Cur ferat Hebræus uocalem in pectore quartam,  
 A multis quæri Cæciliane solet.  
 Addictum æternis ut se cruciatibus esse  
 Cogitet, hæc secum signa doloris habet.  
 Aut quia pro nihilo numeris apponimus illam,  
 Inter mortales se sciat esse nihil.  
 Aut quòd Iudæis augentur fœnore nummi,  
 Maior ab hac numerus nam solet esse nota.

Seriò autem, prudenter & uerè scribit diuus Imperator Leo Augustus sua constitutione 83; inquit: Si à Spiritus legibus ita se mortale genus regi sine-  
 ret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id uerò & decorum & salutare esset.  
 At quoniam se ad Spiritus sublimitatem eleuare, diuinæq; legis uocem ample-  
 cti non cuiusq; est, ac uerò quos nunc uirtus ducat, numero ualdè pauci sunt: be-  
 nè se adhuc res haberet, si saltem secundum leges humanas uiueretur. Quæ uo-  
 cantur pecuniæ creditæ usuræ, ubique à Spiritus decreto condemnantur. Exo-  
 di 12. Lucæ 6. Id sciens Pater noster æternæ memoriæ Princeps, usurarum so-  
 lutionem sanctione sua prohibendam putauit. Atqui propter paupertatem  
 uulgi, res illa non in melius (quem tamen finem Legislator proposuerat) sed  
 contra in peius uergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuni-  
 am prompti fuerant, post latam legem, quòd nihil lucri ex mutuo percipere possent,  
 in eos, qui pecunijs indigent, difficiles atq; immites sunt. Quin etiam ad  
 facile iurandum, quodq; id frequens consequitur, ad iusiurandum abnegan-  
 dum, id occasionem præbuit. Breuiter propter redundantem in humana uita  
 peruerfitatem, non modò non profuit legis uirtus, uerùm etiam obfuit.  
 Quanquam igitur ex se legem culpate (quod quidem etiam absit) nequeamus,  
 propterea tamen quòd humana natura (quomodo diximus) ad illius sublimi-  
 tatem non perueniat, egregium illud præscriptum abrogamus, ac in contra-  
 rium statuimus, ut æris alieni usus ad uluras procedat, idq; quomodo ueteri-  
 bus Legislatoribus, uidelicet l. 16. Cod. de usur. placuit, ad trientes, centesimæ  
 nempe, quæ quotannis in singulos solidos, singulas fœneratoribus siliquas pa-  
 riunt. Ac lex ea sic habet: Cum non frumentum, sed pecuniam fœnore te accep-  
 pisse alleges, ut certa modiatio tritici præstaretur: ac nisi is modius sua die fuisset  
 oblatus, mensurarum additamentis in fraudem legitimarum usurarum gra-  
 uatum te esse contendas: potes aduersus improbam petitionem competenti  
 uti defensione. Sequitur alia quoque sic loquens: Indebitas uluras etiam si  
 ante sortem solutæ non fuerint, ac propterea minuire eam non potuerint, sed  
 post sortem reddunt, creditor fuerint datæ, exclusa ueteris iuris uarietate, re-  
 peti posse, perpena ratione firmatum est. Præterea dicit lex alia: Acceptam  
 mutuo sortem cum usuris licitis, creditoribus post contestationem offeras, at  
 si non suscipiant, consignatam in publico deponere, ut cursus legitimarum usu-  
 rarum inhibeatur, &c.

Porro autem cum extet sanctissima constitutio in ordine quinquagesima  
 quinta, ut Iudæi secundum Christianismi ritus uiuant, eam quoque subnecten-  
 dam putauit, quam Imperator Augustus Styliano scripsit in hæc uerba: Qui  
 olim (inquit) sceptris potiti sunt, de Hebræorum gente, quæ quondam  
 quoad diuino patrocínio foueretur, inclyta fuit: nunc autem ob contum-  
 aciam in Christum & Deum nostrum, in calamitatibus celebris est, diuer-  
 sas promulgarunt leges, quæ de ipsorum uitæ statu tractantes iubent, ut  
 sacras



Sacras ipsi scripturas legant, & ne à suis ritibus arceantur, quin etiam ut li-  
 beros supra sanguinis cognationem circumcissionis etiam cognationem suo in-  
 stituto accommodent. Atque hæc quidem, qui olim (ut dixi) imperium obtine-  
 runt. Verùm sacratissimus Princeps ille, ex cuius semine nos nati sumus, ut qui  
 maiori quàm cæteri salutis ipsorum desiderio teneretur, hos in sola superiorum  
 legum obseruatione relinquere (quod ante illum alij fecerunt) non contentus,  
 sed partim sacrorum oraculorum explicatione, partim eorundem admonitio-  
 nibus ad salutarem Christianorum cultum traducens uiuifica baptismi aqua ini-  
 tiauit. Atque quòd ipsos in nouum secundum Christum hominem transfor-  
 mari debere persuasit, ut ueterem deponerent planè effecit, & quæcunq; uetu-  
 statem saperent, circumcissionem, sabbathum, & si quid aliud est, cum illo simul  
 exiit. Atqui cum tanto effectu à Iudaica pertinacia ipsos deduxisset, non etiam  
 prioribus legibus, quæ Iudaico ritu uiuere permittebant, silentium & uacatio-  
 nem alterius legis decreto imposuit. Quod igitur Pater noster prætermisit, id  
 nos adimplendum putantes omni antiquiori, quæ de Hebræis statuit, legi si-  
 lentium iniungimus: & ne illi aliter, quàm pura salutarisq; Christianorum fi-  
 des uult, uiuere audeant, iubemus. Quòd si quis à Christianorum ritibus de-  
 fectione facta, ad Iudæorum mores & placita reuerti deprehendatur, hic secun-  
 dum leges de Apostatis in Codicelatas pœnas luat. Extat alia quoque de He-  
 bræis, quomodo oporteat eos scripturas legere, constitutio Imperatoris Iusti-  
 niani centesima quadragesima sexta, ubi egregia est septuaginta Interpretum  
 commendatio, quocirca eam me describere non piguit. Sic autem habet: Im-  
 perator Iustinianus A. Areobindo gloriosissimo prætoriorum præfecto: Ae-  
 quum sanè erat, ut Hebræi, cum sacris libris aures præbent, non leuiter & re-  
 bus solummodo gestis delectarentur, sed reconditos in ipsis sensus spectarent,  
 per quos magnum illi Deum, & seruatorem humani generis Iesum Christum  
 annunciant. Verum enim uero quamuis dum commentis inter ipsos interpre-  
 tationibus se committunt, in hunc usque diem à recta sententia aberrarunt, quia  
 tamen didicimus, habere ipsos inter se controuersiam, non sustinimus eum tu-  
 multum relinquere ipsis incompositum. Siquidem per interpellationes, quæ  
 ad nos referuntur, didicimus, quòd ex ipsis quidam sola lingua tenentur He-  
 braica, eaq; utendum esse in sacrorum librorum lectione uolunt, quidam etiam  
 Græcam assumendam contendunt, & longo iam tempore ea de re seditiones in-  
 ter se agitant. Nos igitur de hac controuersia edocti, meliores esse iudicauimus  
 eos, qui Græcam etiam linguam in sacrorum librorum lectione uoluerunt assu-  
 mere, & uno uerbo omnem deniq; linguam, quem locus accommodatiorem &  
 magis familiarem reddat auditoribus. Sancimus igitur, ut in quibus omninò  
 locis Hebræi sunt, Hebræis, qui uolunt, licentia sit in eorum synagogis, Græca  
 etiam lingua, itemq; patria hac fortè, nempe Italica, aut quacunq; alia, pro loci ra-  
 tione, mutata lingua, sacros libros intelligentibus legere, quo magis per ipsorum  
 lectionem intelligentibus tota dictorum series ordine manifesta sit, secundum  
 quæ ea & uitam & studia sua instituant: neq; facultas sit ipsorum interpretibus,  
 qui solam Hebraicam assumant linguam, ut suo arbitratu malitiosè hanc tractent,  
 vulgi ignorantia suam tegentes improbitatem. Enim uero qui Græcam linguam  
 legunt, utentur interpretatione septuaginta, quæ omnibus exactior est, & præ-  
 ter cæteras multa continet occulta, præsertim uerò propter id, quod in interpre-  
 tando accidit: nam cum semper bini seorsim conclusi essent, & diuersis locis in-  
 terpretarentur, unam tamen omnem compositionem ediderunt. Ad hæc, quis  
 non illud in ijs uiris admiretur? quod cum longo tempore salutarem apparitio-  
 nem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi præcesserint, tamen illam futu-  
 ram quasi præsentibus cernentes oculis, Prophetica quodammodo gratia ipsos  
 circumfulgente, sacrorum illi librorum interpretationem accommodarent? Atque  
 hac quidem omnes præcipuè utentur: ne tamen in eam opinionem ueniant,  
 quasi cæteras interpretationes excluderimus: damus illis licentiam, ut etiam in-  
 terpretatione Aquilæ utantur, tametsi ille diuersæ nationis fuerit, & in non-  
 nullis dictionibus non mediocrem cum Septuaginta habeat differentiam.

Quæ



Quæ uerò Deuterosis, quasi secundaria traditio, ab ipsis dicitur, in uniuersum interdicimus, ut quæ sacris libris comprehensa non sit, neq; insuper tradita per Prophetas, sed excepta quædam uirorum contineat, quæ terrena duntaxat loquantur, neque quidquam in se diuini habeant numinis. Sed & ipsas utique sacras uoces legant, cum sacros libros euoluunt, neque cælantes ea, quæ mihi prolata sunt, extrinsecus assumant nusquam scriptas uocum inanitates, ab ipsis ad perditionem simpliciorum excogitatas. Vnde hac à nobis præbita licentia, neque aliquibus omnino subdentur dispendijs hi, qui Græcam & alias linguas assument, neq; item ab ullo prohibebuntur, neq; qui archipherentæ, aut seniores interim, aut etiam magistri apud eos appellantur, licentiam habebunt, ut uaftris quibusdam commentis aut anathematismis id prohibeant: nisi uelint corporalibus castigari pœnis, atq; insuper bonis spoliari, uel inuiti consentire nobis, qui & præstantiora & Deo magis accepta uelimus, iubeamusq;. Certè si quis impias & sacrilegas uocum inanitates introducere attentauerit, & uel mortuorum resurrectionem, uel iudicium extremum negare, aut affirmare, quòd figmentum & creatura Dei per angelos subsistat: hi uolumus, ut etiam omnibus locis expellatur, neq; tam maledicam uocem emittant, qui in uniuersum ipsa etiam cognitione Dei exciderunt. Eos enim, qui huius generis aliquid proloqui pertentauerint, omnium acerbissimis supplicijs subiicimus, introducto per hos errore gentem Hebræorum depurgantes. In uotis autem habemus, ut per hanc & illam linguam sacris libris præbentes aures, & interpretum peruersitatem obseruent, neq; locis attendant literas, sed res etiam ipsas degustent, & sacratiores omnino sensus percipiant: quo magis & quod præstantius est, addiscant, & aliquando decipi, atq; ab eo, quod omnium præstantissimum est, nempe in Deum fiducia, aberrare desinant. Propterea enim omnem ipsis linguam ad sacrorum librorum lectionem aperuimus, ut si omnes ordine eorum scientiam amplectantur, ad meliora perdiscenda reddantur aptiores: cum in confesso sit, multò paratiorem ad meliora discernenda & capescenda esse eum, qui sacrorum librorum lectione innutritus, non longè à correctione, & ut ad bonam frugem perducatur, disidet, quàm qui nihil horum intelligit, sed ex solo religionis nomine dependet, eiq; tanquam sacra adhæret anchoræ, & scientiam Dei putat in sola sectæ appellatione uersari. Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram declarantur legem, ea obseruabit tam gloria tua, quàm cohors tibi obtemperans. Obseruabit autem & qui pro tempore in fastigium magistratus tui collocabitur: neq; committet, ut Hebræi contra hæc faciant, sed & eos, qui obstiterint, & omnino prohibere attētauerint, corporalibus primū pœnis subditos, ademptis etiam bonis compellet incolere exilium, ne quando insolentius se & temerario ausu contra Deum pariter & Maiestatem imperatoriam efferant. Vtetur autem & iusionibus ad prouinciarum præfides, adiungens ipsis legem nostram, ut & ipsi de hac edocti per singulas urbes hanc proponant: scituris, quòd necessariò hæc obseruanda sint, nostram indignationem metuentibus. Dat. Idib. Febr. Constantinopoli D. Iustin. P P. Aug. Basilio V. C. Conf.

Pulchra diui Imperatoris Iustiniani constitutio centesima prima, ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur. Cum decuriones uideamus nobis instare precibus, & libenter ijs indulgeamus: meritò sanè legibus contrarias artes, & per fraudem excogitatas, ualere non concedimus. Docuerunt enim potentiam nostram Eusebius & Aphthonius, qui Demetrio nepotes extiterunt, nati ex Palladio Demetrii filio, quòd is Demetrius Artemidoro per causam mutui quingentos aureos debuerit, in quam summam etiam uluras stipulatus sit. Nuper uerò sacram prodixisse formam, quæ uoluerit, si duplum debiti soluatur, ut nulla contra ipsos secundum leges nostras supersit exactio. Artemidori autem creditoris successores Epimachum & Artemonem dixisse, mentitos ipsos in precibus, neq; nostro dignandos auxilio, cum debito plenè satisfactum non fuerit, sed soli nongenti quadraginta nouem aurei persoluti sint. Ajunt enim supplices, patrem suum Palladium unà cum Demetrio patre eius, & Paulo, octingentos



Octingentos sexaginta septem soluisse aureos. Sed Artemonem & Priscianum Artemidori filios, qui Epimachi & Artemonis illius alterius auus fuit, dixisse, particularem se solutionem forti non adiungere, sed omnia uelle reputare in usuris. Hæc item innuere sententiam prouinciæ præsidis, & propterea exegisse Palladium pro priore quingentorum aureorum sceneraticia syngrapha, alteram aureorum sexingentorum. Soluisse autem ipsi (inquiunt) diuersis temporibus, & Palladium aureos septuaginta duos, & Eusebium atq; Aphthonium decem, ut inde colligatur nongentorum quadraginta nouem aureorum summa. Eum uerò qui controuersiam audientiam præbuerat, quum in animo non reuolueret, quo totius accusationis eadem causa esset, non admisisse ipsos, sed uoluisse in sexingentos eos aureos sortis condemnare. Petieruntq; ut hac necessitate eximerentur: & collecto uniuerso debito quingentorum aureorum, si quinquaginta tantum adhuc soluerent, qui reliqui essent ad mille solidorum quantitate, tam uniuerso debito liberarentur, quam sceneraticiam sexingentorum aureorum syngrapham reciperent. Cum igitur leges nostræ nihil ultra duplum solui uelint, & nos in hoc tantum differentiam habeamus cum prioribus, quòd illæ quidem debita constituunt usque ad duplum, si nulla particularis facta fuisset solutio: nos uerò recipiamus, ut particulares etiam solutiones debita dissoluant, si usque ad duplum pertingant: sancimus, ut secundum hoc fiat computatio, & si tantum hi persoluerint, quantum adhuc ad mille aureos deest, recuperent etiam sceneraticiam sexingentorum aureorum syngrapham: ne debitum ex hac causa multipliciter exigi deprehendatur. Quæ itaque nobis placuerunt, & per hanc sacram pragmaticam declarantur formam, ea studeto magnificentia tua effectui & fini tradere, tam ea interpretatione, quæ de hac causa in sententijs, quorum supplices meminerunt, facta est, abolita: quàm omnibus, quæ per obreptionem, & ex una tantum parte confecta sunt, aut conficiuntur uacantibus. Sancta diuinitas te seruet per multos annos, frater iucundissime. Dat. 17. Calend. Maij Constantinopoli. Belisario V. C. Consuli. Et centesima trecesima octaua constitutio declarat, quòd neque usuræ, quæ per partes soluuntur, duplum debitæ sortis excedant. Item quòd omnis sacra & principalis interpretatio uim legis obtineat.

Porro si quis plura de usuris & illicitis contractibus uidere & legere cupiat, uideat quæ in Pandectis, libro uicesimo secundo, titulo primo de usuris & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus & mora: item quæ in quarto libro Codicis, titulo tricesimo secundo, & 33. de usuris, & nautico scenore: item quæ de traiectiua pecunia tractantur. Ex professo autem de usuris ac sceneraticijs illicitisq; contractibus, & tota ea materia prolixè scribunt D. Laurentius de Rodolphis Florentinus per modum repetitionis ad capitulum consuluit, de usuris. Item D. Ambrosius de Viguate Taurinensis, super cap. salubriter, de usuris. Item Vuilhelmus Bantus Louaniensis, de usuris, & emptione reddituum uitalium aut perpetuorum. Item Guido Papæ, de usuris, & illicitis contractibus. Ex neotericis uerò perquam doctè & eleganter D. Franciscus Horomanus duos libros de usuris. Item D. Conradus Paulus Brunswicensis, libros tres de usuris. Et D. Philippus Melanthon in sua moralis Philosophiæ epitoma. D. Hieronymus Schurphius post alios passim in suis consiliorum centurijs. D. Marthæus de Afflictis incidenter decisione 22. Item decisione 33. Decif. 186. Item 91. Item non permittendas esse usuras, earumue exactionem, propter malum uitandum, nec etiam in uno nummo illas Princeps permittere debeat, Decif. 291.

*In Caput 21. politiæ Imperialis, Annotat. D. Iustini Gobleri, de pannis & pannicidis.*





Hic taxat Imperator noster, textorum & pannicidarum imposturas & fraudes, quæ uariæ quidem, doloq; malo ad decipiendos simplices, præsumuntur, tam in textura, quam in tinctura, & eò profectò peius turpiusq;, quò frequentius; cessante nec animaduertente Magistratu cuiusuis loci. Possit autem de Germanica natione non ineptè dici id, quod Poëta Virgilius de suis agricolis scribit, uidelicet eos felices fore, bona si sua norint. Habet et Germania nobiles lanas, nobilissima quoque uina, & alia multa, ut nò esset necesse peregrina & exotica quærere, ad luxum potius quàm ad necessarium usum spectantia, ut sericæ & bombycinæ uestes aureis & argenteis filis intertextæ, quæ exteræ gentes etiam auersantur, nec maiorum Germanicæ nationis tulit consuetudo. Et quis modestus, pius, & Christianus homo non illa aurea, argentea, gemmea margaritarum etiam emblemata ad meram ostentationem, fastum & luxum parata, inaurata, uel auro inclusa, & infimbriata detestetur, cuius fastuositatis nullus apud nobiles diuites modus est.

In Caput 22. politia Imperij, Annot. D.  
Iustini Gobleri.

De his, qui  
fraudatio-  
nis credito-  
rũ causa so-  
lum uertunt  
et aufugunt,  
cum nò  
sunt soluendo  
tales ne-  
quam.



ST & aliud hodie genus furum quoddam, præstigijs, dolis, technis, & fraudibus oppletum, quod per ementitam, simulatam, fictamq; negociationem & alienũ ingens nonnunquam corradit prætextu arduæ mercaturæ & negociationis uariæ. Quo corraso sæpe etiam per dilapidationem, nec bonæ frugi uitam, sed per luxum fastumq; incidit in pauperiem, ac profugit, aut certè profugium meditatur ac simulat: ne æs alienum contractum creditoribus bona fide deceptis totum exoluere cogatur, sed retenta magna summa, eaq; accisa elabatur. Qua negociatorum fraude doloq; in Repub. nihil est detestabilius, alios bonæ frugi homines modestosq; creditores sub bona fide fallentes & perditos. Hunc execrabilem & perniciosum ludum appellant exurrectionem atq; Βεγναρὼδαι, nimirum frequens & usitatus astus apud primi nominis mercatores & negociatores, eosq; in specie opulentos, quum reuera intrinsecus sint nequissimi & peruersissimi nebulones. Contra quos debitores alieno æri obnoxios abitionem & discessionem, uel potius fugam meditantem, quoniam soluendo non sunt, & iam pridem inceperunt dilapidare & distrahere omnia ferè bona sua, uel palàm uel clandestinè, ne carceri mancipentur. Quæ res sanè legitimam fugæ suspicionem parit: & quanquã priuatum est delictum, alios bonæ frugi homines creditores bona fide fallere & detrimento adficere, tamen iniuria, & contra bonas leges est, alium benè meritum dolo malo subuerrere, & ad paupertatem & inopiam nonnunquã redigere, quod hodie tamen uidemus passim fieri etiã inter Christianos, cum sua p'degerint, quod in fraudem creditorũ, cum soluendo non sunt, bonis decedant, & sic delinquendo creditoribus imponant, quos antiqui, Nonio teste, decoctores, helluones, & bonorũ consumptores appellabant: hodie dicunt *Auffstender* / *Banderoth* uel *Banderoth macher*. De quibus hic Imperator noster statuit, uidelicet qui fraudationis creditorum causã solum uertunt, & cum non sint soluendo, uel decipiunt uel aufugiunt. Quid hoc aliud est, quàm dolo malo agere, & creditores bona fide decipere, nunc ementito uerbo uulgo exurrectionem facere, atq; fictè Βεγναρὼδαι, qui astus nunc, ut audio, frequens & usitatus est apud primi nominis in Belgia, & circum circa negociatores, qui tamen in specie opulentiores reputantur, & sic reuera, deq; factò nequissimi atq; peruersissimi reperiantur: suos creditores, proculdubio frugi homines modestosq;, bona fide fallentes & decipientes, quos rectè appellaueris, non tantum ut Græci dicunt φάπες, sed etiam raptores, hoc est, fures improbissimos, ut Theophilus interpretatur.



In Caput 24. *politiae Imperialis, Annot. Doct.*  
*Iustini Gobleri Goarini.*



Euitatem illam, seu potius malitiam prauae familiae, seruorum & ministrorum, qui saepe sinistra persuasione corrupti, heri suum & seruitium deserentes, aliò se, prioribus dominis iniuitis, conferunt, uel etiam aufugiunt: quos Imperator noster hoc capite in uiam reuocare, ac emendare laborat. Scelus autem auertendorum famulorum & uernarum hoc tempore uulgare est & frequens: si quidem mali & perniciosi homines plerique non sibi ipsis sunt mali, sed & uenenum spargunt in alios, praesertim cum simplicioris ingenij homines nacti fuerint, quos corruptelis suis seducant, ut Anabaptistarum & Sacramentarium mos est: quos aiunt neminem non tentare, suis erroribus corrumpere, ac obliquis quibusdam artibus & dolis in suam sententiam, uel potius haeresim pertrahere. Elegans uero praetoris edictum percenset Vlpianus l. i. ff. de seruo corrupto. Qui seruum seruamue (inquit) alienum alienamue recepit, persuasissetue quid ei dicitur dolo malo, quo eum eamue deteriorẽ faceret: in eum, quanti ea res erit, in duplum iudicium dabo. Est autem proprie recipere, abscondendi causa refugium seruo praestare, uel in suo agro, uel in alieno loco, aedificio. Persuadere autem est plus, quam compelli atque cogi sibi parere. Sed persuadere τῶν μισθωπέδων nam bonum consilium quis dando potest suadere & malum, & ideo praetor adiecit, dolo malo, quo eum deteriorem faceret: neque enim delinquit, nisi qui tale aliquid seruo persuadet, ex quo eum faciat deteriorem. Qui igitur seruum sollicitat ad aliquid uel faciendum, uel cogitandum improbe, hic uidetur hoc edicto notari. Sed utrum ita demum tenetur, si bonae frugi seruum pepulit ad delinquendum, an uero etsi malum hortatus est, uel malo seruo monstrauit, quemadmodum faceret. Et est uerius, & si malo monstrauit, quemadmodum delinqueret, teneri eum. Imò etsi erat seruus omnimodo fugiturus, uel furtum facturus, hic uero laudator huius propositi existit, tenetur. Nō enim oportet laudando augere malitiam. Siue ergo bonum seruum fecerit malum, siue malum deteriorem, corrupisse uidetur. Is quoque deteriorem facit, qui seruo persuadet, ut iniuriam faceret, uel furtum, uel fugeret: uel ut alienum seruum sollicitaret, uel ut peculium intricaret, aut amator existeret, uel errori, uel malis artibus esset deditus, uel ut in spectaculis nimius, uel seditiosus: uel si auctori suasit, siue uerbis, siue precio, ut rationes dominicas intercideret, uel adulteraret, uel etiam ut ratione sibi commissam turbaret. Vel si luxuriosum, uel contumacem fecit: quae ut stuprum pateretur, persuadet &c. Nec tantum Patrisfamilias, uerum etiam Principis ac cuiuslibet Magistratus interest, ne hoc tempore ciues & subditi ab anabaptistis et sacramentarijs, hominibus plane (ut putatur) phanaticis, corrumpantur: ideoque utiliter exercent in eos hanc persecutionem officio suo. Is enim qui animum hominis corrumpit, nobilissimam eius partem necat. Ergo talis corruptio & deprauatio foedissimum scelus est, etiam propter frequentiam eius puniendum, iuxta cap. noli putare, de poenitent. distinct. 1. Quanquam igitur minimum quis forte referre existimat, quos famulos, quas uernas, ancillae uel sibi asciscat, non est ea res tamen parui momenti, si quis delectum habere possit, quis enim non malit potius fidum quam infidum, frugi, quam decoctorem seruum? diligentem quam uinosum? Inter multa mala, quae haec fatalis temporum mutatio per bella & pestilentias inuexit, non est minimum in ciuitate incommodum, quod aegre inuenias frugis bonae famulum, famulamue, multo aegrius inuenias fidelem ac sedulum, sedulamue: adeo, pro pudor, corrupti ac deprauati sunt mores hominum, quoquo uersus oculos animumque intenderis, ut recte iam dixeris uetus illud, εὐδὲν ὄντες. Nihil sani. Nulla diligens & honesta institutio, nulla disciplina adolescentiae, ut aliquo modo supra meminimus. Dicis forte uices rerum isto seculo inuerti, ut liberi parentibus, discipuli praceptoribus, famulheris, uernae dominabus suis imperitent. Videmus enim, ut hic Imperator



commemoratur, frequenter contingere, ut serui prauis persuasionibus corrumpantur, suaq; improbitate indulgeant, petulanter ac temerè abeant, uel magis aufugiant: quin & legimus totas domos subuersas esse per infidos famulos & ministros. Vnde autem seruile bellum quondam ortum est? Sed & inter seruos quoq; inuenti sunt, qui & uitam suam pro dominorum incolumitate uilem habuerunt, quanto magis idem sperandum est de famulis, uernis & ancillis? Quam frequentissimè per susurrations hoc tempore, ut diximus, mirum in modum corrumpuntur. Est enim malitiosissimum & abiectissimum hominum genus susurronum, & famulorum sollicitatores, cui studio est inter heros & famulos ac famulas simultatem serere, & iurgia rixasq; excitare. Cumq; suam domum regere nequeant, alienæ moderatores esse uolunt, nescij laudati carminis Homericij, ὅτι τοὶ γὰρ μεγάροισι κακῶν τε ἀγαθῶν τε τέκται. Cæsarum leges, ut antè meminimus, concedunt actionem serui corrupti, nec diuersa ratio est famuli corrupti. Quicquid enim hic peccat, illis imputandum est, qui instigant. Probi autem uiri est, famulos alienos ad officia cohortari, & si quid inciderit inter illos ac heros, sarcire, conciliare, & in gratiam redigere. At linguæ susurronum & sollicitatorum, quæ famulos & famulas alienant à conductoribus, dignæ sunt quæ in fumarijs suspensæ durentur fumo. Cæterum ut ciuilitatis est ad quædam leuiora conuiuere, ita quem in atroci crimine deprehenderit, uelut in furto, in adulterio, aut delatione malitiosa, statim ablegandus est, sine longa mora uel iurgio. Quoniam autem fieri non potest, quin famuli & famulæ ex domestico conuictu multa resciscant, hanc oportebat esse præcipuam uirtutem, ut nec curiosi sint in aliena domo, neq; quicquam effutiant rerum domesticarum, quod melius sileretur, præsertim earum, quæ liberius dicuntur in cõuiujs. Nihil enim sceleratius illis, qui ad exemplū Getæ Terentiani, si quando dominus in conclau tractat arcani quippiam cum amico, contento spiritu aurem seræ admouent, aut ediscunt, si quid inter pocula excidit, idq; deferunt ad eos, de quibus dictum est, ioco dicta pro serijs referentes, & non nihil etiam admentientes. Famulus certe & famula, qui multa alicundè in domum inferunt uerba, multa etiam efferre creduntur. Crapula & ebrietas quibusdā pro leui uitio ducitur, sed grande uitiorum agmen secum trahit, utpote neglectum officiorum, & ministeriorum, garrulitatem & futilitatem, rixas & iurgia, lites & pugnas, sæpè etiam corporis debilitatem & morbos. Interdum scortationem in famulis & uernis excitant: pestem & facram scabiem in domum inuehunt, liberos ac familiam reliquam inficiunt, nonnunquam & herum & heram: an hoc uidebitur leue crimen? Profecto detestabile censendum est nefas: & ad multas corrumpendas & inficiendas, uel una contagiosa sufficit ouis. Propter unum prauum hominem perit quandoq; tota ciuitas, iuxta sententiam Hesiodi: Sæpe mali malefacta uiri populus luit omnis.

*In Caput 25. politia Imperialis, Annot. Doct.*

*Iustin Gobleri Goarini.*



E coniunctione maris & fœminæ legitima, hoc est, de matrimonio, quod est diuini & humani iuris communicatio. l. i. ff. de ritu nupt. ex quo omnes status hominum, siue magni siue parui, nascuntur, suprâ meminit ab initio Imperator, ubi ostendit in ciuili uita et honesta politia secundum naturam esse matrimonia, ex quibus ciuitas & politia coalescit, ac prima societas sit maris & fœminæ: quorum uterque sine altero, τοὺς ἀνδρῶν ἀλλήλων, debilis, & ut Homerus inquit, καὶ δόμος ἢ μητελής, nempe familiam mancam & mutilam esse alterutro desiderato coniuge: quod Moses ostendit, inquiens, B. n. dixit illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Lege autem cauit, non mœchaberis, ut unusquisq; habeat suam coniugem, retineaturq; in uoluptatibus modestia quædam & certitudo. Vagi enim concubitus, incertam facerent de sobole opinionem, eleuentq; curam alendi par-



us, quando quidem apud Christianos coniunctionis maris & foeminae finis esse debet, diuini nominis imploratio, & honesta sobolis progeneratio & educatio, quem finem illis uerbis quoq; interpretatus est Moses, ubi inquit, Benedixit illis deus, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram: prohibens utiq; uagas libidines, adulterium, & scortationes, stuprum, incestas fornicationes: quae scelera & flagitia diuino mandato aduersa & per sese offensiuua & scandalosa omnia complectitur hoc capite Imperator noster, de leui, inhonesta ac prohibita cohabitatione loquens: quemadmodum legum sanctiones iubent: nec multum aduersantur Pontificum decreta, de uita & honestate clericorū, de cohabitatione clericorum & mulierum, ex clericis coniugatis &c. Adulteria uerò manifesta aliasq; illicitas cohabitationes Imperator cum primis uetat hoc loco, de quibus prolixè uidere potes in cōstitutione eiusdem criminali, artic. 116. et sequentib. per quatuor folia. Item in praxi criminali Ioannis Bernhardi Diaci, à capite 72 usq; ad 80 inclusiue. Item in Enchiridio rerum criminalium D. Iodoci Damhauderij Pragēsis, per aliquot capita, ad quae te iam breuitatis causa festinans remitto.

*In Caput 26 politicae Imper. Annotat. Doct. Iustini  
Gobleri Goar.*



AM olim eleganter constituit de mendicantibus ualidis Imperator Valentinianus Augustus, Cunctis, ait, quos in publicum quæstum incerta mendicitas uocauerit, inspectis: exploretur in singulis & integritas corporum, & robur annorum: atq; inertibus & absq; ulla debilitate miserandis necessitas inferatur, ut eorum quidem, quos tenet conditio seruilis, proditor studiosus & diligens dominium cōsequatur: eorum uerò quos natalium sola libertas persequitur, co-

lonatu perpetuo fulciatur, quisquis huiusmodi leuitudinē prodiderit ac probauerit: salua dominis in eos actione, qui uel latebram fortè fugitiuis, uel mendicitatis subeundæ consilium præstiterunt. Vbi cauet Imperator, mendicantes ualidos nō esse admittendos, quemadmodum & hoc capite Imp. Carolus V. noster præcipit. In hanc legem scribens Plateanus dicit, Quia aliqui fingunt se pauperes et infirmos, cum non sint: & uadunt mendicando, cum sint fortes, robusti & sani ad laborandum, quos spanaldos, & galiatos, & galiardos, siue trauandos, in uulgari appellamus galiatos: idè de ijs subiicit: Hi enim auferunt panē uerè debilibus & infirmis, idè ad officium Magistratus spectat inquirere in conditiones personarum in ciuitate existentium, & quos inueneris agricultores, uel ad alia exercitia aptos, ad illa eos exercenda remittere, & eorum segnitionem ad meliorem mutare uitam. in Authent. de quæstore. §. uolumus, cum pluribus §. sequentibus, collat. 6. Esurienti enim panis utiliter tollitur, ut eius inertia cohibeatur. §. quæst. §. nō omnis. Et in liberalitate elemosinae plura sunt consideranda, scilicet, fides, causa, locus, tempus, modus, necessitudo, ætas, debilitas, cōditio. 86 distinct. non satis, & ibi gloss. cum pluribus capit. sequentib. Et glossa super Matthæum, Iustius feceris, si iniuste petentem correxeris, quàm si ei dederis, ut dicit hęc gloss. Amat enim qui corrigit, dicto cap. non omnis. & de hac elemosina danda, uide bonam glossam magistralem. 42. distinct. quiescamus. Iubet igitur lex, mendicantium inspiciendam esse conditionem, ut si eis fuerit corporum integritas, & annorum robur, eorum inertia sine ulla miseratione sic puniatur. ut eorum delatoris probantis dominio serui applicentur, serui corrupti domino actione seruata, & liberi coloni ipsius delatoris efficiuntur, uelut hæc lex mandat: Non est ergo danda elemosina forti & robusto, sed est potius reprehendendus & corrigendus, ut supra dixit in Rubrica, & intelligit glossa in uerbo, leuitudinem, de his qui non solū mendicant, sed etiam sibi apponunt herbas, & suppositoria, per quæ apparent infirmi, claudi, qui contracti pedibus & manibus, uel aliud, propter quod faciunt sibi tumescere tibias: uel aliā informitatem fictitiā ostendunt



apparenter, & non existenter: tales enim plani quidam reperiuntur, ut ille apud Horatium clamans, tollite claudum: qui graui pœna plectendi sunt: præsertim mendicantes illi, qui herbis & alijs medicamentis deformitates membrorum & ægrotudines corporum fingere possunt. Placuit uerò huc adscribere quædam ex Imperat. Iustiniani octuagesima constitutione nouella, de quæstore, ubi sic inquit: Volumus autem, ut qui hunc Magistratum gerit, respiciens ad Deum simul, & timorem nostri, & legem, perquirat eos qui in ampla hac urbe peregrè diuersantur, ex qua cunq; tandem regione sint, siue uiri, siue mulieres, siue clerici, siue monachi, siue ascetria, siue exterarum urbium aduocati, siue etiam alterius conditionis aut dignitatis homines existant, & curiosius insistat perconteturq; & qui sint, & unde, & per quam causam aduenerint. Et si quidem agricolæ sint, consideret, ad quos ex nostris Magistratibus illorum pertineant controuersia, & his imminet, quo magis & sub compendio breuiterq; illis difficultatibus, quas propter huc aduenerunt, liberent, & obtento iure suo, primo quoque tempore eò remittant, unde uenerunt. Si uerò agricolæ existant, qui certis subditi sint dominis, & eorum indigentes præsidio, ad hanc regiam urbem deuenerunt, procuret, ut citius domini negocia ipsis expediant, quæ propter accesserunt, & protinus obtento iure suo remittant. Si uerò (ut probabile est) cum dominis in disceptationem peruenerint, & contra eos causas agant, si quidem uniuersitas sit, continuo eam quidem multitudinem in prouinciam remittat, duobus aut tribus relictis, qui forma syndici & totius uniuersitatis nomine litem exercent, atq; ita litis cognitore imminet, procuretq; ut quamprimò controuersias decidat, ne in longum ipsis tempus protrahatur, & maximè agricolis, quorum & præsentia hîc superuacua est, & uacatio ab opere rustico, tam ipsis quàm dominis damnum importat. Quòd si non ex agricolis ea multitudo sit, quæ peregrè hîc diuersatur, sed alij fortè, qui & ipsi pertractandis aduersus alios litibus longiorem hîc moram trahant, ne quid relaxet, sed cum summa contentione iudices urgeat, ut cum festinatione ipsos controuersijs absoluant, & causarum actione liberatos ad prouincias & suas urbes incolendas remittant &c. At si qui litis causam non habentes, tantum comparandi uictus gratia in hac nostra sunt ciuitate, ut reliquum uitæ uel emendicando, uel si mendicitas ad aliorum auiditates non sufficiat, iam etiam delinquendo transigant, corporum eorum constitutionem qualis ea sit, inspiciat, & si quidem ualentibus sint corporibus, possintq; ad laborem sufficere, & aliquorum serui fuerint, perdiscat quorum sint, & uel inuitos ipsos dominis remittat. Si conditione liberi sint, & uel ex prouincijs aliquibus, uel urbibus oriundi, hos in prouincias remittat, unde ducunt originem. Si indigenæ sint, & ualidis utantur corporibus, neque decentem occasionem habeant, unde sibi uictum parent, non permittat, ut inutile terræ pondus sint, sed primo quoque tempore in ministerium tradat eos artificibus publicorum operum, tam qui officinis pistorijs præfecti sunt, quàm qui hortos colunt, & alijs diuersis artificijs & opificijs, in quibus simul laborare, simul alimenta habere ualeant, & ita inertem uitam ad meliora traducere. Si qui uerò opificijs, quibus traditi sunt, uacare noluerint, hos regia hac urbe expellat. Ac clementer sanè cum ijs agentes, ista sancimus, ne quando inertio ocio ad illicitos ipsos actione impellente, leges eos abripiant ad pœnas, tradentes nostris Magistratibus. Cæterum qui quæuè oblaeso sunt corpore, aut canicie graues, hi ut à molestia uacui sint, iubemus, in præstanti hac regia urbe ab his alendi, qui piè uolunt agere. Et postremò singulos quosque percontans, cuius gratia aduenerint, re comperta de illis, quæ æquum est facere, faciat: ne inertes hîc desideant, sed ex animi sui sententia, confectis his, quæ illorum interfunt, ad sedes suas reuertantur &c.

Videmus quàm contra ociosos & desidiofos, inertesq; homines agant suis constitutionibus Imperatores, Iustinianus, Valentinianus, & Carolus Augusti, ex quibus fatis declaratur inertiam hominum esse non solum detestandam, uerum etiam puniendam, maximè quando in damnum tendit Ecclesiæ uel Reipub. Socordia enim, licentia, desidia, & negligentia, omnia lædit perditq; potissimum



nimum uerò facit desidēs & pigros clericos & scholares, qui sua officia, studia, & lectiones suas negligunt, non recordantes ueteris uerbi, *μελέτη τὰ πάντα δέονται*, & nobilissimi Oratoris Iſocratis, *ἐὰν τις φιλομαθῆς, ἐὰν πολυμαθῆς*, hoc est, si diligens, studiosus ac sedulus fueris, erit tibi multarum rerum agnitio, multa doctrina. Cura enim & exercitatio, ut dictum est, omnia potest, ac labor omnia uincit improbus, ut inquit Vergilius, Et duris uergens in rebus egestas. E contra uerò ocium & inertia in legibus redarguitur. I. pupillus, in fin. ff. de his, quæ in fraud. cred. & suprad. l. unic. C. de mend. ualid. Ac uerè dicitur: Ocia dant uicia. Quæritur, Aegistus quare sit factus adulter. In promptu causa est, inquit Ouidius, desidiosus erat. Idèd dicit diuus Hieronymus: Semper facito aliquid, ut Diabolus inueniat te occupatum: tum quia ociositas & uoluptas arma sunt hostis antiqui, ad miserarum animas capiendas, ut in cap. nisi cùm pridem, s. uerum, de renunc. Et Seneca Epist. 16. ad Lucilium, Ocium (inquit) sine literis mors est, & uiui hominis sepultura. Ergò Publium Scipionem, eum què primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato (qui fuit ferè eius æqualis) referente Cicerone libro tertio Officiorum, nunquam seminus ociosum esse, quàm cùm ociosus, nec inuis solum, quàm cùm solus esset. Magnifica uerò uox, & magno uiro, & sapiente digna, quæ declarat illum, & in ocio de negocijs cogitare, & in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non indigeret. Itaque duæ res, quæ languorem adferunt cæteris, illum acuebant, ocium & solitudo. Nihil autem dulcius ocio, uiro literato, ut idem Cicero loquitur in Tusculanis quæstionibus. Contra uerò sapienter dixit Sophocles, *τίκτε γὰρ ἑδὲ μὲν ἀλλὰ ἐκείνα χολῆ*, quo significat, nihil boni parere ocium inane, quin potius iuxta Hesiodum, ociosis & desidibus pariter indignari & Deos & homines, *τῶδε θεοὶ νεμεσδοιοῦσι καὶ ἀνέρες, ὅσις ἀεργὸς ζῶν*. Apud Lacedæmonios olim percontanti cuidam, quam obrem omnium Deorum statuæ apud eos ponerentur armatæ: ne, respondit Charilaus, probra, quæ ob ignauiam iaciuntur in homines, ad Deos referamus, nè ue iuuenes nisi armati Deos comprecantur. Eo commento ciuium animis hanc opinionem infingere studebant, Dijs gratam esse industriam & fortitudinem, inuisam ignauiam & ocium, simulq; iuuentutem industria, laboribus & armis ferendis debere affluere, quo simul & minus indulgerent ocio, uoluptatibus, aut delitijs: & utiliores laboribus & bello euaderent: si ne religionis quidem causa fas esset labores & arma ponere, cuius obtentu ferè solet ocium & luxus in ciuitates irrepere. Quo circa semper memoranda est præclara illa diuini Platonis sententia, per quam è disputatione discedens solitus est admonere discipulos, Videte pueri (inquiens) ut ocium in re quapiam honesta collocetis. Significans ocium omnia mala docere adolescentes. Sic & Euripides ociosum malo ciui comparat, cùm inquit, *ἀεργὸς πολὶ τῆς κείνης, ὡς κακὸς γ' ἀνὴρ: ἀεργὸς γὰρ ὑδεὶς, θεοῦ δ' ἔχων ἀνὰ σῶμα βίον δέονται, ἀνὸς ἀλλήγη ἀνδρὶ πόνων*. Hoc est, nullus ociosus & desidiosus, quamuis Deum ore prædicet, colligere uictum sine laboribus potest, quemadmodum & pulcherrimè dicit Epicharmus, *πρὸ πάντων πόνων πῶλ' αὖτις ἀμὴρ πάντα τ' ἀγαθ' ὁι θεοί*. Accedentibus & conuenientibus laboribus uendunt Dijs nobis omnia bona: quò alludit Flaccus, inquiens, Perrupit Acheronta Hercules labor, uelut & in Electra Sophocles ait, *πόνων τοι χάρις ἑδὲ βύτυχῆς*, hoc est, citra laborem nil benè est aut fortunatum, cùm uirtus sit cum labore coniuncta, neque absque labore ad uirtutem perueniatur. Sic & Salomon Rex prudentissimus pigrum ad formicam, animalculum laboriosissimum deducit, & Hesiodus fratrem suum Persam, & alios ad laborem hortatur: Labora, inquit, ut possis effugere famem, Dijs enim omnia uendunt laboribus, ut supra diximus, & amant homines solertes, quibus etiam auxilio subueniunt, iuxta illud Homericum, *πάντες δὲ θεῶν χάρι' εὐσ' ἀνθρώποι: Διὶ*  
nimirum industriam adiuuant, ac sine ope  
diuina nihil ualemus.



In Caput 27. & tria sequentia politicae Imper. Annot. D.  
Iustini Gobleri.



Roscribit hoc genus nebulonum, & expellit è Germania, Imperator noster hoc capite, qui se Zygeuneros nominant: certè impostores, plani, & sycophantæ insignes, nisi etiam essent fures, latrones, & proditores, ut fertur, Germaniæ: eam enim notam eis Imperator hoc loco inurit, ut dicantur Germanicæ nationis proditores apud Turcas: quo circa in ea ferendi nusquam sint, sed undiquaq; expellendi, abigendiq;. Solent enim plerunq; incautis circumstantibus, præsertim goeteiæ, præstigiatrices illæ mulieres, ita oculorum aciem præstringere, ut non aduertant furtum, technas, fraudem & dolum. Adeoq; inter præstigia & delusiones quadam manuum uolubilitate seu dexteritate in loculos mox & marsupia inuolant, ostiatim nonnunquã totum uicum seu pagum antequam aduertatur compilantes. Quid ergò isti doli, quid machinæ, quid fallaciæ, præstigiæq;, num sine culpa & pœna permittentur? minimè gentium.

In Caput 28. politicae Imperialis, Annot. Doct.  
Iustini Gobleri.



Huc nōn  
bil facit a-  
pophtheg-  
matū liber  
6. ubi inter  
cetera scri-  
bit Eras. à  
leuissimis  
personis  
nōnunquã  
dici, quæ  
nemo sapi-  
ens cōtem-  
nat, &c.

Oriones illos, qui risum mouere student, Græci γελωτοποιους uocant, ut Homerus de Vulcano loquens, in conuiuio Deorum ministrante ait, inextinguibilem motum esse risum, ut uiderunt illum cæteri Dij per domus seruientem. Sic & Principes suos habent γελωτοποιους, Moriones, & risum concitatores, iuxta illud dictum: Intermisce tuis interdum gaudia curis. Nec uanè docuit sapiens Cato: Insuper esto, cum tempus postulat, aut res. Nam stultitiam simulare loco, prudentia summa est. Quod & Salomon monet, Ne sis nimium sapiens, uidelicet innuens mediocritatem in omnibus seruandam esse. Moriones autem ut plurimum iucundi omnibus sunt, ac id communiter præstant, quod unum sæpenumero principes aucupantur, iocos, risus, cachinnos, delitias: quasi in moderatè sapiendo iucundissima sit uita. Non enim natura ipsa uoluit, ut planè tristis ac tetra esset hominum uita: ob id non minus indidit affectuum, quàm rationis: nec quisquam ipse semet oderit, uel sibi met ipsi grauis sit ac molestus. Sic quoq; tolerabiles & iucundi Regibus ac Principibus Moriones, histriones & fatui sunt, uelut priuatim iuxta ac publicè uidemus, propterea dicitur uulgò, ueritatè penes pueros & stultos esse. Quondam cum Fridericus tertius Roma. Imperator conuentum Principum haberet Norinbergæ, uenit quidam Morio uel Histrion, mendicitatem simulans, ad aulam petijt intronitti, eo nomine, quia frater Cæsaris esset: at cum primùm non intronitteretur, & sæpius instaret, tandem res deuenit ad Imperatorè, qui interpellationis admiratione motus, iussit morionem introduci, atq; unde fratrem suum se profiteretur, interrogauit. Respondit Histrion, omnes mortales esse inter se fratres à primo parente Adamo, atq; ut se pro ista fraternitate donaret, petiuit. Cæsar, cui procacitas Histrionis insolens uisa est, tantùm ei cruciferum numisma dedit: cui Histrion, non decet inuictissime Cæsar, ut fratri tuo tam exiguum munus des, cum ipse tam diues sis. Vade, inquit Imperator, & si quilibet fratrum tuorum tantum tibi dederit, eris me ipso ditior. Aliud ferè non dissimile in Histrione mendico accidit Duci Saxonie, ab eo petente denarium propter cognationem, qua inuicem sibi essent deuincti. Quæsiuit Dux, unde illa cognatio intercideret? Respondit ille, ab Adamo nostro omnium parente. Hinc Dux uade, inquit, si enim talibus cognatis omnibus & singulis denarium uellem dare, nec ducatus nec patrimonium meum sufficeret. Multò autem liberalius fecit Alfonso Aragonum Rex, qui cum à quæstore sibi decem millia deferrentur, & ille qui fortè a derat, dixisset, ea summa duntaxat se diuitem & beatum fore. Accipe, Rex inquit, quantacunq; ea est, & beatus esto.



CVM IMPERATORE DIVO MAXIMI

liano Morionis Conradi à Rosa iocus.

Fortè parat Cæsar conuiuia Maxmilianus,  
 Ad quæ læta uenit turba uocata Ducum.  
 Hic undam famuli manibus dant ordine Regum,  
 Mensisq; instructis accubuere Duces.  
 Deinde epulis onerant mensas, & plena reponunt  
 Pocula, quæ miris sculpta fuere modis.  
 Postquam epulis domuere famem, & sua corpora læti  
 Curarunt, ludos mensa secunda dedit.  
 Iam media in mensa pingunt longo ordine turrim,  
 Et carbone notans atria parua nigro.  
 Hic spes quisque suas, hic præmia pacta reponunt,  
 Inq; nouum bellum nomina quisque dabat.  
 Partem aliquam talis deposcit Morio belli,  
 Conrado nomen cui Rosa pulchra dedit.  
 Post primum incipiunt pictis colludere chartis,  
 Nec fortuna diu Regibus æqua fuit.  
 Nam fauet illa magis stultis, superare potentes  
 Nec fert, exiguos sed iuuat illa uiros.  
 Ille feret tota restantia præmia turri,  
 Depictos Reges bis duo si quis habet.  
 Tres fortuna dedit Conrado heroas habere,  
 Fortunæ auspiciu protinus arte iuuat.  
 Mox itaq; exclamat, nec longo gaudia differt  
 Tempore, sed tales reddidit ore sonos:  
 Vicinus, & fortem uocat ad se Maxmilianum  
 Amplexumq; tenens, talia uerba refert.  
 Ecce tria in chartis Regum simulachra uidetis,  
 Qui uincat quartus Maxmilianus erit.  
 Seria seu ludos agit, succumbere nescit,  
 Nunquam fortunæ cessit & iste minis.  
 Dixerat, inq; suam prædam simul inuolat, atq;  
 In nummos auidas inijcit ille manus.

DE MORIONE, A NOCTVA ET SPECULO uocato, iocus.

Quondam Morio erat, nostris notissimus oris,  
 Saxoniam gelidus qua rigat Albis humum.  
 Noctua Cecropiæ dederat cui sacra Mineræ,  
 Et speculum falsis nomen imaginibus.  
 Hic lepidis tristes salibus depellere curas,  
 Stultitia & populum fallere doctus erat.  
 Ludicra ridenti præbens spectacula turbæ,  
 Charus ob hæc plebi, principibusq; uiris.  
 Fortè sed infelix Regum depulsus ab aulis,  
 Horrida quo primum tempore bruma riget.  
 Instructus tenui tunica, tritaq; lacerna,  
 Ille peregrinas cepit inire uias.  
 Ut solet æstiuo sudans sub sole uiator,  
 Cum rapidos feruens Syrius urit agros.  
 Vixq; tenebat iter medium, cursuq; citato  
 Se putat hybernium uincere posse gelu.  
 Cum subito latos impleri milite campos,  
 Et uidet armatis omnia plena uiris:  
 Substitit haud timidus, nec enim quod perdere posset,  
 Aut quod prædator carpere uellet, erat.

Atq;



Atq; ita securus pompæ spectator equestris,  
 Dum stat & admotas calfacit ore manus.  
 Ecce ibi Saxonicus pulchris formosus in armis,  
 Ferrata Princeps calce fatigat equum.  
 Et uolat in primo laxatis ordine frenis,  
 Arma regens fului pelle corusca lupi.  
 Qui simul ac illum glacie niuibusq; rigentem  
 Conspexit Princeps non procul inde uirum.  
 Adproperat, raræ trepidus sed imagine formæ  
 Horruit, & spumans frena momordit equus.  
 Dura uiro longo pendebat stiria naso,  
 Barbaq; rhiphæa conspicienda niue.  
 At propior factus Princeps, miseratus acerbam  
 Fortunam, & miseri talia fata uiri.  
 Cur, ait, hic tristi macie confectus oberras,  
 Omnia nunc postquam diriguere gelus?  
 An nihil omninò didicisti, frigus adurens  
 Pellere quo posses, pauperiemq; tuam?  
 Quin agedum follerti alicui consuesce labori,  
 Est tibi quærendus uictus ab arte tua.  
 Me miserum contrà nudato uertice pronus  
 Ille refert, quondum fors mea quanta fuit.  
 Dilecta dulces natus cum matre fouebam,  
 Diues erat studijs & domus ampla meis.  
 Magna satis fuerat, sed honesto parta labore  
 Res mihi, nec paucas ars mea sensit opes.  
 Nec tamen hanc auxi positus in fœnore nummis,  
 Aduexit merces nulla carina mihi.  
 Sedula quicquid erat, manus hoc curaq; parabant,  
 In precio meruit dum meus esse labor.  
 Vitrea sub tenui claudebam lumina cornu,  
 Summa quidem quæstus ars fuit ista mei.  
 Vfus & illorum longè lateq; patebat,  
 Cæruleum latam qua mare claudit humum.  
 Cùm sacros Psalmos uestalis uirgo legebat,  
 Arte mea cantans non semel usa fuit.  
 Sumebatq; senex ocularia nostra sacerdos,  
 Cùm fastos legeret Citho Iane, tuos.  
 Sed quid multa moror, quoq; tunc cùm iura ferebant,  
 Arte ipsi reges indignere mea.  
 Tantus erat quondam speculis ocularibus usus,  
 Nec minimus nobis inde redibat honos.  
 Donec quisque suos, sicuti Germanica uulgo  
 Lingua sonat, didicit cernere per digitos.  
 Connuere etiam nunc est in Principe uirtus,  
 Virtus heu damnis ista reperta meis.  
 Ars periit, postquam digiti cœpere uidere,  
 Et tenuis superest spes mihi nulla lucri.  
 Sic ait, hyberna sed tempestate coactus  
 Ipse suum Princeps, scurraq; pergit iter.  
 Idem fortè aliam post Morio uenit ad urbem,  
 In medio spargens semina iacta foro.  
 Hic quid nam faceret, cùm quidam interrogat, inquit,  
 Ista malos ciues semina iacta ferent.  
 Cùmq; bonos potius ferere hunc quidam iubet, inquit,  
 Sed non ista potest gignere terra bonos.



Nec Musicæ diuinæ artis quidem, & Angelicæ harmoniæ laudem iam hic agere libet, non Principibus solum, uerum etiam Dijs ipsis gratæ, cuius importunum & intempestiuum abusum Imperator hic in fistulatoribus & cantoribus taxat & abrogat his duobus sequentibus Capitibus, uidelicet 29. & 30. quod aliàs scripserimus, & testati sumus hoc disticho: *Læta graues abigit tristi de peccatore curas Musica, præsentis cum muliere, mero. &c. Augustæ Vindelicorum.*

*In Caput 31. politicæ diui Caroli V. Annot.*  
*Doctoris Iustini Gobleri.*



VAM non solum utile, uerum etiam necessarium sit in ciuitate & Republica munus seu officium tutorum & curatorum, ut nimirum illorum, qui uel propter ætatem, uel propter aduersam ualitudinem, aliã uel conditionem ipsi se defendere nequeunt, cura suscipiatur habeaturq; ex præsentis commotione diui Imperatoris nostri aliqua ex parte liquet. Prudenter enim ac grauitè Principes & Magistratus sui muneris atq; officij monet in diligentia curaq; præstanda, ne per socordes, negligentes & infidos tutores & curatores res minorum pereant & interuertantur. Est enim quandoq; ingens in talibus hominibus improbitas, ut uerè dici possit uulgò, *pfeleger trewe/ward nimmer newe*. Et, *Sie habender Seugammen weise an jnen*, ex Oldendorpij sententia, Omnes esse æquè probos, & unius farina: absit inuidia uerbo: *Es ward selten ein guter Vormunder geforn*. Hinc Vlpianus noster commendans hanc postulationem de suspectis tutoribus & curatoribus à frequentia & necessitate, dicit eam frequentem & perquam necessariam esse. Quotidie enim (inquit) suspecti tutores & curatores postulantur. l. 1. ff. de suspect. tutor. Nam quemadmodum ex apertis maleficijs necessarium fuit, nominatas concedere actiones ad tuitionem infantium, & ad retinendam hominum societatem: ita multò magis oportuit ex latente maleficio concedere postulationem suspectorum tutorum & curatorum. Vbi enim est maxima delinquendi occasio, ibi cum primis est, & fuit refrænanda libido, iuxta l. 1. §. sed & si quis. ff. de Carbon. edict. l. cum hi §. si cum lis. ff. de transact. l. 2. §. si inter. ff. de litig. Ergò necessitas huius actionis est & honestissima & prudentissima. Quare eam etiam tantoperè hac constitutione omnibus Principibus & Magistratibus Imperator noster commendat, iubens eò respicere & animaduertere, prout alioquin ex iure cõuenit, & æquum est, ne uidelicet pupilli & minores, qui ipsi se per ætatem, aut ualitudinem defendere non possunt, decipiantur, negligantur, aut defraudentur. Ob quas causas cum primis necessaria est tutela & cura, adeoq; Magistratus prouisio & defensio. Velut hæc prolixius in legibus & constitutionibus explicantur. Equidem breuiter studeo.

Cæterum qui de excusatione tutorum uel curatorum disputant, etsi uarias & diuersas causas habent, tamen potissimum has tres allegant, uidelicet ætatem septuaginta annorum, quæ ipsa etiam à cæteris muneribus personalibus excusat, ut in l. 3. C. qui ætate. libro 10. & l. 2. C. de ijs, qui ueniam ætat. &c. Altera excusationis causa est, prolium multitudo, quam *πολυπαιδία* uocant, cuius & multa alia sunt præmia ex lege Iulia, & Papia, & constitutionibus &c. Tertia excusationum causa est, numerus tutelarum uel curationum. Tria enim onera tutelarum, uel tria onera curationum, uel tria onera permistarum tutelarum, & curationum, quartæ tutelæ uel curationis excusationem præbent, non tamen aliorum munerum ciuiliū. l. 3. C. de excus. mu. & non tantum tria onera curationum adolescentiū, sed & furiosorum. Et ut ex Vlpiano subiicit Modestinus, tria onera non ex numero pupillorum uel adolescentium computantur, sed ex patrimoniorum & domuū diuersitate, & cõficiendarum reddendarūq; rationum difficultate. nã si tres sint fratres cõsortes, una est tutela: si tres dissortes, tres sunt tutelæ. l. si is, qui tres §. ult. ff. de excus. Verè autè & grauitè idem Modestinus scribit, inter cæteras (inquies) causas, magistratū oportet creādorū tutorū mores animaduert-



animaduertere, neq; enim tam facultates, aut dignitas, apta sunt ad fidem eis habendam, quam uitæ institutum decens, & mores probi, &c. Porro sciendum est, tutelam testamentarias & datiuas ex aditione hæreditatis, uel conditionis euentu statim ipso iure ualere, quum apertarum tabularum uel testamenti tempus non spectatur, quin & ex decreto statim ipso iure, ut dictum est, ualent.

Iam & circa finem huius capituli commonefacit Imperator principes & Magistratus sui officij atq; pietatis erga res Ecclesiasticas, quarum hanc curam agere, ac prouisionem facere teneantur, ne dolo malo dispareant aut consumantur. Fuit enim ab initio constitutarum Ecclesiarum Imperatoribus & Regibus pijs & bonis magna cura conseruandarum ac custodiendarum rerum Ecclesiasticarum, quemadmodum & hodie fieri decebat, ne ministeria Ecclesiastica, bona studia, literæ, ac Scholæ collaberentur. Quod cum passim fieri uideamus, magna metuenda est barbaries, merusq; paganismus futurus. Extant autem multæ piorum et doctorum uirorum commonefactiones & adhortationes, cur ex grauissimis causis res Ecclesiæ tuendæ, conseruandæ, & ministeria docendi præstanda sint. Literarum item studia, & Scholæ artium & linguarum discendarum prouehendæ sint. Quid enim uita hominum tota, absq; eruditione ac literis, absq; Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Philosophia, Theologia, Iurisprudencia, ac naturalium rerum cognitione, nisi tenebræ, caligo, & obscuritas: ut rectissimè dixisse putatur Satyricus: Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usq; Aurorâ & Gangem, pauci dignoscere possunt Vera bona, at illis multum diuersa remota Erroris nebula.

*In Caput 32. politia Imperialis Annotationes Doct.  
Iustini Gobleri.*



**ERSTRINGIT** hoc capite Imperator Carolus V. iudices, Aduocatos & procuratores, lites ultrò suaq; sponte remorantes, nec debito tempore ius reddentes ac iustitiam ad ministrantes: qua de re sæpe multa frequensq; etiam apud ueteres fuit querela, cum quidam dicerent, uarijs modis iudicia eludi, nempe odio, gratia, precio, aut timore: & si quis improbum, aut perniciosum iudicem nactus fuerit, qui iudicio & legibus abuti uelit, innumeris etiam alijs modis iudicia eludi & præuaricari contra ius fasq; soleat: nonnumquam cum alteri parti pronior est, longis ambagibus & interuallis differendo iudicium, clientem, pro quo ius stare uidet, frustratur & decipit, ita ut longa mora fatigatus, iudicium relinquere cogatur: aut donec alius instructior fiat, expectet, ut alter interim dolo fraudeq; uictus occumbat: sed etiam quum non ex bona fide acta proponit & refert, sed qui unius partis causam agit, tantum enunciat, quæ uerò contra supprimit ac tacet, ut nuper quidam plani nebulones fecerunt, sic bonum ius eludentes atq; obterentes. Sunt etiam qui illum, cum quo lis est, cui plus nimio fauent, quo pacto aduersarij telis se opponat, instruere non uerentur, quum quid in re quaq; consilij capiendum sit, alteri parti enuncient, ita ut ille paratior factus, bonum alterius ius euertat & conuincat, quum alterius neq; uoces animis, nec querelas auribus admittant: & cum miser ille timidus imprudensq; rerum, iudicis fidem implorando, frustra ipsius aures fatigauerit, iudex interim seuerus & uehemens loquenti obstrepat, eumq; uel difficulter admittat, aut impotenti ore obiuret: uel si admittit, agrè & perinuitus, dissimulato sermone uultuq; cum tædio admittere cogatur. Quorum quidem nequitia et animi ad fallendum destinati, non minora argumenta sunt, quam cum reconditus ille sensus, & abstrusus animus, quam labem misero illi adferat, non facile dignoscatur. Quin etiam quandoq; euenit, ut iniquus iudex improuidum ad insidias ducat, & uana spe lactet, prætendendo se dubitare, in quo nihil uerendum sit: si quod autem in causæ disceptationem anceps dubiumue fiat, illud dissimulante



lanter omittit, ut cum maximè te uicisse existimes, tunc tibi præcipuè subeundū sit periculum. Euenit interdum quoq; ut quum diutius interpellantem iudex frustrari nequeat, precibus seu querelis fatigatus, causam in iudicio se producturum prædicat, aliorumq; confessorum explorat uota, non ut causam æquo iudicio disceptet uel terminet, sed ut quo pacto inuadat ius alterius, solerter inquirat, eorumq; uotis in illius miseri perniciem exploratis, sine religione & fide ipsum eat perditum.

Si uerò non dubiam spem uictoriæ uiderit, iudiciorum & litium mora ita rem producit, ut cum finire nutu omnem disceptationem ualeat, neutro inclinatis sententijs, suspensa omnia in se cunctaq; relinquit: aut per nequitiam, auaritiam & sordes bonum alterius ius inuertit. Contra uerò Deus, & Moises, & scriptura iustos uult constitui iudices, Deutero. 1. & 17. ubi inquit præcipiens: Iudices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dedit tibi, per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio, Non declinabis iudiciū, non agnosces personā, nec accipies munera, quia munera excæcant oculos sapientū, & deprauant causas iustorum. Quicquid iustū est persequeris, ut uiuas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dedit tibi. Præscribit autem hic Moises (imò Deus ipse) iudicibus & præfectis regulam, nempe, ut iustè iudicent, hoc est, secundum legem Dei, non secundum suum sensum aut cogitationes. Deinde affectus prauos prohibet, ne deserta lege ducantur & moueantur personarum & munerum respectu. Quæ duo solent omnia iudicia peruertere, & declinare: unde & addit hic gnomen, id est, sententiam, dicens: Munera excæcant oculos sapientum, & deprauant causas iustorum. Cæterum personarum respectus comprehendit in se timorem magnatum, potentium & diuitem, amorem propinquorum, fauorem amicorum, contemptum uilium, & misericordiam calamitosorū, periculū proprium uitæ & famæ rerumq; omniū. Munera uerò cōplectuntur in se lucrum, commodum, spem, & totum illud chaos insaturabile & infinitum auaritiæ, quæstus, & usurarum. Vnde & Exodi 18. consulit lethro Moisi, ut eligat uiros, qui sint sine auaritia, hoc est, raras illas aues, nigroq; simillimas cygno. Vides ergo, quo animo oporteat esse eum, qui iudicis & gladij officij exercere debet, nempe uictore omniū affectuum, timoris, amoris, fauoris, misericordiam, auaritiæ, spei, famæ, uitæ & mortis, & amatore simplicissimo simplicissimæ ueritatis & iusti iudicij, Quia (inquit Iosaphat Rex Iudæ) iudicium Domini est. Necessè est enim iudicem onerari multorum inuidia, periclitari odio, & tentari misericordia & lucro, ubi nisi Deum solum spectet, non poterit hos insultus superare, & subsistere. Deum uerò solum quomodo spectabit, nisi cor fide certum fuerit firmatum. Apparent exempla in Iureconsultis seu Iuristis optimis, qui æquitatem, dum uel publicè docent uel scribunt, pulcherrimè tradunt: at in consilijs priuatim dandis (præsertim quando potentibus & diuitibus patrocinantur) planè aliter sentiunt, & sibi dissimiles sunt, scilicet, quòd hic personæ respectus, uel misericordia calamitatis (ut optimè interpretemur) eos deflectit à recto, ut uelut mederi & succurrere inopi studeant, quod tum non fecerunt, cum in publicum docerent. Et hic præ affectu non uident se ab æquitate in publico docti, deflectere. Tam difficilis, rara, & ardua res est oculus simplex & rectus in iudice. Idè est cernere (ut scribit uir Dei D.M.L.) in summis Theologis, quales sunt Augustinus, Bernardus, & his antiquiores, Cyprianus, Tertullianus, & similes, qui ubi in publico scripturam tractant, candidè & purè tractant, sed propositis quæstionibus rarò in uia manent, quin aliquid scripturæ adimant, & causæ ac personæ tribuant, & uerba Dei uitorqueant. Vide in hoc eos, ubi contra Arium, Hieronymus contra Iouinianū: Augustinus contra Manichæos: Bernardus contra liberum arbitrium scribunt, & uidebis (inquit ille) me uera dicere. Ad eò nullus sanctorum omnem carnem exiit, aut affectus eius detriuit, ut nihil reliquum sit spei, quæ ut tam Iudex quàm doctor in timore Dei agant, sibi semper suspecti, ne fortè legem Dei, & uerba eius non rectè tractent. Securitas enim in his locum non habet, ubi res Dei agitur, & nimis seria. Condignè olim igitur, referente Gellio, & condecorè Chrylippus in librorum, qui inscribuntur  $\pi\epsilon\pi\iota\kappa\alpha\tau\omicron\upsilon$



ἀνὴρ καὶ ἠδ' οὐκ ἄλλος, hoc est, de honesto & uoluptate, primo, os & oculos iustitiæ, uultumq; eius feueris atque uenerandis uerborum coloribus depinxit. Facit quippe imaginem iustitiæ, fieriq; solidam esse dicit à pictoribus rhetoribusq; antiquioribus, ad hunc fermè modum: Forma atq; filo uirginali, aspectu uehementi & formidabili luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione intelligi uolunt Iudicem, qui iustitiæ antistes est, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inculpabilem, contraq; improbos nocentesq; immisericordem, atq; inexorabilem, erectumq; & arduum, ac potentem ui & maiestate æquitatis, ueritatisq; terrificum. Verba ipsa Chryssippi de iustitia scripta hæc sunt: παρθένος δ' εἶναι λέγεσθαι κατὰ σὺμβολοῦ τῆ ἀδ' ἀφ' ὁμοειναι, καὶ μηδὲ μὴ ὡς ἰδ' ὄναι τοῖς κακῶργοις, μήτε προσκεῖσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικῆς λόγους, μήτε παραίτησις, καὶ δ' ἰσχυρῶς, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων, οἷς ἀπολύτως, καὶ σκνήθω πῆ γράφεται, καὶ συνυφαντός ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον, καὶ δεξιῶς βλέπουσα ὡς τε τοῖς μὲν ἀδ' ἰνοῖς φόβον εμπαιῖν, τὸς δὲ δικάοις θάρσος, τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τῶν τοιούτων, τοῖς δὲ ἑτέροις, προσάντης. Hoc est, dicitur uirgo esse, in dicio eam esse incorruptam, improbis nunquam concedere non orationem modestam, non precationem, non adulationem, non deniq; quicquam aliud pati. Quas ob res meritò tristis etiam ac contracta fronte pingitur, uultu graui, aspectu contento, & toruo, ut iniustis terrorem incutiat, iustis fiduciam præbeat, quando huiuscemodi facies iustis grata, iniustis molesta est. Hæc uerba Chryssippi eò etiam magis ponenda existimaui, ut prompta atq; exposita ad considerandum, iudicandumq; sint.

Porro de Iudice iusto, & integro uideatur inter cætera caput 14. libri uicesimi tertij, lectionum antiquarum Lodouici Cælij Rhodigini, cum duobus capitibus sequentibus, uidelicet 15. & 16. De aduocatis autem & procuratoribus plurimæ in Pandectis & Codice faciunt leges, præsertim in libro 3. ff. de postulando, & sequentibus. Item Cod. lib. 2. & ibi subiectis titulis multis & legibus uidetur.

*In Caput 33. politia Imperialis, Annotat. Doct.  
Iustini Gobleri.*



**D**E Pharmacopolijs & Apothecis in ciuitatibus uisitandis & perspiciendis ad minus semel in anno, mandat Imperator noster Magistratui, idq; uult per peritos artis, hoc est, Medicos ipsos ac Physicos fieri, non per circumforaneos, aut artis medicæ in expertos, seu circutores, qui Græcis uocantur περιουλευταί, seu περιεγοργαῖοι, nimirum Medici, ut quidam interpretantur, qui circumeunt urbem, sanitatis hominibus reddendæ causa, quibus immunitas datur, non etiam eis, qui domestico & umbratili studio dediti sunt. De qua re uideatur Zonaras Laodiceni cap. 57. Ulpianus ait, Medicorum quoq; eadem causa est, quæ & professorum, nisi quòd iustior, cum hi salutis hominum agant, illi studiorum curam, & ideo his quoque extra ordinem ius dici debet. Sed & obstetricem addunt, quæ utique medicinam exhibere uidetur. Medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui alicuius partis corporis, uel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta si auricularius, si fistulæ, uel dentium, non tamen si incantauerit, si imprecatus est, si (ut uulgari uerbo in posterum utar) exorcizauit, non sunt enim ista Medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum prædicatione adfirmant. L. 1. ff. de extraord. cognitio. Quamquam autem uerissimus ac pulcherrimus uersiculus est Homeri, ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πῶλλον ἢ γυναικίος ἄλλων: tamen optima arte plerique pessimè ad suum quæstum abutuntur, non ad publicam salutem, ut ferè fit. Vnde quondã uir doctissimus & optimus D. Antonius Niger Vratislauenfis, Medicus Physicus Brunswicensium, de decem præcipuis erroribus & abusibus, propter



propter quos apud nonnullas gentes præclara Medicinæ ars, mulierculis, Iudæis ac impostoribus, ueluti præda relicta, miserèq; infamata constuprataq; iaceat, hinc in modum ad candidum Lectorem scripsit: (Qui consilium quoq; de tuenda ualitudine edidit Anno 1554. ad illustrissimum principem D. Iulium Brunswigensem & Lunæburgensem) Ad monitum te esse uolo initio, candide Lector, me ad libelli huius editionem nulla maledicendi libidine, nullaq; grassandi in famam alicuius gentis cupiditate, sed solo ueritatis indicandæ studio esse impulsus. Scio enim quamuis nationem uirtutes suas habere, ac sua laude dignâ esse, in nulloq; orbis terrarum populo non reperiri uiros cordatos: sed quoniam in confesso est, non nullos esse homines, qui ut alij in rebus omnibus, & sapiant, & rectè iudicent, ita in medicamentis sumendis, nō æquè iudicio ualeant, magisq; abusu quàm usu delectati, libenter se decipi patiantur, puto neminem futurum nobis tam iniquum, qui nostram hanc in manifestandis abusibus exhibitam operam, non in beneficij potius, quàm iniuriæ partem sit accepturus. Quanquam uerò me non lateat, maiorem esse errorū ac temeritatis molem, quàm ut ullo conatu amoueri, altioresq; radices actas, quàm ut calamo meo uel labefactari, nedum extirpari possint, uisum est tamen faciundū, ut uel paucissimos, quibus nō omnino frigidus crassusq; circū præcordia est sanguis, ab errore uindicemus, atq; ad uerum Medicinæ usum traducamus. Multitudini hæc non scribimus, quam quò magis ratione postules mansuefacere, eò uehementius uidearis ἐνβαρβαρῶσαι. Libuit autem ex immenso penè abusu autorum præcipuos aliquos sigillatim promere, ac separatim ante oculos cōstituere. In quibus detegendis si quid liberius in impostores, qui se pro medicis uenditant, dixerò, benedictum id uerius quàm maledictum æquus rerū æstimator iudicauerit. Primum igitur ex abusibus medicam artem infamantibus locum obtinet, ea quæ ex inspecto lotio, absente ægroto, fit diuinatio. Hanc fordididi lucelli auuiditas inuenit. Adfert enim, si non amplum, certè quotidianum uetigal, cuius duce dine inescati, agyræ, recutiti, et aniculæ, nihil non comminiscuntur, quo stolidis imponant, ac fucum faciant. Ibi tum amplissimus mendacijs patet campus, in quo ingenia eorum excurrant atq; exerceantur. Cicero pro Cluentio scripsit, Milesiam quandam mulierem, cum esset in Asia, quòd ab heredibus secundis accepta pecunia partū sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam. Sed & si qua uisceribus suis post diuortium (quòd prægnans fuit) uim intulerit, ne iam inimico marito filium procrearet, ut temporali exilio coherceatur, ab optimis Imperatoribus nostris rescriptum est. Ibi noua & inaudita morborum genera urina inspecta se deprehendisse dicunt, eaq; impudenter quæ nec in rebus extant, quæq; ἀδύνατα sunt, adserere audent. Et ut compendio dicā, mera somnia, ac anilia deliramenta mirum quanto supercilio pro oraculis effundant, quantoq; conatu maximas nugas agant. Quas si uir intelligens audiat, non iniuria dubitet, utram harum maiore dignam odio existimet improbitatem νεῖν φρεσὶ καὶ λόγῳ, an stultitiam τῆν φρενακίτομένωρ. Ac quòd merito maximè indigneris, dum isti tanquam ex tripode nescio qua portenta uaticinantur, rem eò leuitatis adduxerunt, ut præclara Medicinæ ars μανθικῆν persimilis esse uideatur, ipsiq; pro hariolis magis quàm pro medicis cognosci possint. Qui plerūq; quidem falsa pro ueris responsa reddunt, mirèq; frigent augurando: interdum tamen uel mali dæmonis instinctu, uel fortuito, uel arrepta cōiectura aliqua ex urinam adportantis uerbis, symptoma aliquod morbi efferentes, rem acu tetigisse imperitis uidentur. Quemadmodum enim qui totum diem iaculantur, aliquando scopum attingūt, & sæpe iactantes aliquando uenerem iaciunt: ita & isti urinæ cōtemplatores, certas nonnunquam coniecturas aliunde ducentes, ueri non nihil adipiscuntur, idq; omne ex urina se perspexisse simulant. Quòd longè secus est. Nam si totum etiam diem in lotio oculorum aciem defixam intentamq; defatigaueris, morbi genus ac causas ex eo peccato, idq; obscurè, deprehendes, plerūq; nihil cognosces proorsus. Alia longè alia sunt, unde callidi fycophantæ coniecturas capiunt, quibus adiuti nonnunquam rectè diuinare uidentur: ea si hic proferrem, nemo non liquidò cerneret, nihil esse facilius, quàm hominibus decipi gaudentibus os sublinere. Sed quia & leuissima sunt, & orationem nimis prolixam requirunt, consultò præ



termittam, & ad uerum inspiciendæ urinæ usum quàm breuissimè declarandum me conferam. Huius itaq; inspectio, quæ sit præsentè ægroto, non inutilis est ad effectus, qui hepar, uenas, renes, ac uesicam infestant, cognoscendos. Est enim urina nihil aliud, quàm sanguinis serum, quod in hepate gignitur, discernitur in renibus, & per meatus, qui *ουρητῆρες* dicuntur, in uesicam deriuatur, excerniturq; tandem inde per eius collum. Quod si uerum est, ut nemo sanæ mentis esse negauerit, relinquitur certè urinam non omnium morborum, ut uulgo mentiuntur, esse signum: sed eorum tantùm affectuum haberi notam, qui in his partibus, quibus gignitur, & per quas transit, consistunt. Itaq; in febribus quidem lotium utile inspectu est, concoctionem aut cruditatem morbi significans, in alijs uerò morborum quàm plurimis obscurum, incertum, mireq; fallax iudicium adfert. Nam & in pestilenti epidemia, quæ anno post natum saluatorem nostrum 1530. Brunsvigæ grassata est, plurimas uidi urinas sanorum lotio similimas, quæ adeò non fuerunt certum sanitatis futuræ signum, ut partim eorum, qui eas minxerint, eodem die, partim postridie sint elati. Sed quid opus est? Si ex matula morbi omnes cognoscendi essent, frustra Galenus nobiles illos *περί πεπονθῶτων τῶπων* sex libros, morborum signa complectentes conscripsisset.

Secundus error & abusus. Fædum uerò arti Medicæ de decus imprimit, & illa circumforaneorum, anicularumq; impudentia, quæ purgandorum corporum rationem sibi temerè arrogat, præclareq; tum purgata esse corpora arbitratur, cum multas ac egregias cacationes, insignemq; uentris proluuiem commouerit, ignorans inter purgationem et uentris solutionē differentiam permagnam esse, quam Hippocrates aphorismo secundo ac 23. libri primi ostendit, inquit: Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia deiici oportet. Quibus uerbis apertè docetur, purgationem noxiorum tantùm, & morbum facientium humorum, expulsionem esse, aliorum nō item. Si quidem igitur purgare non est idem, quod temerè uentrem soluere, sed noxium tantùm succum expellere, qui potest dubitari? Quin summa arte summaq; cura & industria opus sit, ut primū is, qui morbi materia est, humor, cognoscatur, deinde cognitus conuenienti pharmaco, minimèq; alieno tempore & modo expurgetur: quæ res profectò tanta est, ut doctissimo cuiq; & peritissimo Medico negotium faceat, ignoranti contrā facilis uideatur. Nihil enim non est procliuè audaci imperitiæ, qua fretæ aniculæ suam colocythida, suumq; tithymalum, quam esulam minorem uulgo uocant, exhibentes, mirabiles sæpe cacationes creant, qua eadem armati circumforanei & tonsores nonnulli letalia ex argento uiuo catapotia, alia que id genus *δυσήγνια*, id est, mortifera pharmaca hominibus obtrudunt, quasq; coniurati in salutem mortalium hostes, unā cum excrementis & animam exturbant. Violenta enim illa medicamenta, Galeno libro secundo de elementis, teste, propriam tandem ac natiuam solidarum partium humiditatem exhauriunt, *ἀνασχοιχοῦντα καὶ φθείροντα τὸ ζῶον*. Quare non rarò fit, ut carnificina illa uerius quàm medicina debilitati & infracti nonnulli, etiam si mortis periculo perfuncti sint, ac sanitatem uideantur adepti, optatam tamen uitæ periodum complere nequeant, aliquotq; annis ante diem decedere soleant. Hæc præmia sæpenuerò adfert audax illa, quam dixi, imperitiæ, cuius mentionem facit & Thucydides, inquit, *ἡ ἀμαθία μὲν θρασείας, ὀκνηρόν δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται*.

Tertius error & abusus. Fraudi præterea Medicis esse solet ignorantia plurimorum, qui nesciunt naturam morborum esse curatricem, Medicum uerò naturæ adesse ministrum, id quod Hippocrates libro sexto epidemiorum, his uerbis testatur: Natura sunt morborum medici. Quodq; idem Galenus in arte medica confirmat, inquit: Natura horum omnium opifex est, medicus autem minister. Natura enim seu uirtus ægroti ea est, quæ morbi causam seu materiam concoquendo & expellendo uincit interdum, sine ullo medici auxilio. At uerò si morbi siue causam, siue materiam concoquere & expellere non possit medicus laboranti naturæ subueniens, in coquendo & expellendo fert auxiliū, quo adiuta illa morbi

uictrix



uictrix euadit. Sin autem prostrata iam penitus natura seu uirtus fuerit ægro-  
ti, & cum morbo prælium inire nequeat, frustra medicus præsidia adfert, fru-  
stra subsidio uenit. Hæc si multis cognita & perspecta essent, minus profectò ini-  
qui in medicos essent, iudices, minusq; calumniarentur artem, ubi desperata salu-  
te mors hominem occupauerit. Intelligent enim in natura ægri salutem, et  
mortem, imò uerò in Deo Opt. Max. positam esse. Medici tamen non contemnen-  
dum ministerium, nec uulgare uideri debere officium, ut qui naturam cum mor-  
bo depugnantem strenuè iuuet. Proinde in morborum curatione hunc ordi-  
nem obseruari operæ precium est, ut in ea aliquid sit primum, aliquid secun-  
dum aliquid item tertium. Primas enim Deo, naturæ parenti, meritò tribuimus,  
secundas naturæ, medico pulchrum est in tertijs consistere. At uerò homines  
quidam obesi animo, & stupidi, nihil horum intelligentes, à medico plusquam  
ab homine requiri debet, exigunt: nec satis habent, si is operam fidemq; præstite-  
rit, quin etiam euentum morbi, & periculum præstari ab eodem uolunt, crassa  
quadam, ne dicam impia, Dei & naturæ obliuione capti.

Quartus error & abusus. Iam uerò nec illud silentio est prætereundum,  
quòd præclaram Medicinæ artem, cui perdiscendæ ne totius quidem humanæ  
uitæ curriculum sufficere potest, homines nonnulli esse artem non intelli-  
gunt. Si enim artem esse crederent, minimè à mulierculis, ludæis aut alijs in-  
doctis impostoribus pharmaca peterent, quos constat in arte medica neq; præ-  
ceptores unquam habuisse, neq; præcepta ulla dedicisse, neq; laborem, neq; sum-  
ptum, neq; tempus impendisse. Nam cum nulla ars sine interprete & docto-  
re, & sine aliqua exercitatione percipi possit, medicinam autem profiteantur cir-  
cumforanei, uagiq; nebulones, & aquarum, ut uulgo loquimur, distillatores, qui  
neq; prima eius rudimenta calleant, neq; theoresin ullam cognouerint, sed qui  
elegmata tantum, quæ uulgo electuaria dicuntur, pillulas & sirupos, aliq; com-  
posita medicamēta in Pharmacopolijs exposita, nominare, ex eisq; receptulas, ut  
uocant, quasdam fabricare nouerint. Quis non uidet eos medendi rationem  
artem non esse iudicare? qui eiusmodi artifices & ferunt libenter, & pro medicis  
habent. Quæ enim usitata sunt in Pharmacopolijs medicamenta, eorum no-  
menclatura ad faciendas receptas tribus mensibus facillimè edisci potest, quam  
nonnulli affecuti intra paucorū mensium spacium de repente medici prodeunt,  
nimirum Thessali illius, quem Galenus libro primo methodi insectatur, discipu-  
li. Itaq; eò res adducta est, ut Thessalijs impostoribus, artem breuibus terminis  
circumscribentibus, re autem uera miserè infamantibus constuprantibusq; om-  
nia sint referta, ne quicquam Hippocrate uitam breuem, artem uerò longam esse  
clamitante. Istorum inscitiam non mediocriter etiam confirmarunt, qui practi-  
cas, ut uulgo uocant, Latinas in Germanicam linguam conuerterunt. Pleriq; e-  
nim eas legentes remedijs, quæ scripta inuenerint, & credunt & utuntur, rati ex  
ingenuis fontibus se bibere natiuū liquorem, quum interim è limosis riuulis, im-  
purissimisq; lacunis cœnū hauriant, errorisq; ac dementiae compleantur. Verum  
esto (quod tamen minimè concedi potest) falsi nihil contineant Germanici illi  
centones, facile tamen ex eis plus haurire mali quàm fructus decerpere est, pro-  
pterea quod Galeno primo libro & sexto de compositione medicamentorū se-  
cundum locos, teste, etiam optimorum pharmacorum citra methodum usus nō  
solum non profit, sed frequenter etiam oblit, saepeq; non minoris periculi sit, bo-  
na remedia indoctis tradere, quàm insano gladium.

Quintus error & abusus. Porrò serò uocari ad ægrotos medicum, ex eorum  
quoq; numero est, qui arti ignominia notam inurunt. Est enim quibusdam in  
more positum, non antea uocare medicum, nisi æger animam agere incipiat, is-  
pseq; morbus ad statum perueniat, in quo tandem accitus medicus ea auxilia quæ  
in principio & augmento morbi afferrī debebant, non potest adiungere, ægroto  
iam debiliore facto, quàm ut maiora remedia tolerare possit, tum præterea Hip-  
pocrate medicorū principe in ipso morbi uigore quietem præcipiente. Quo fit  
ut medicus frustra, tum aduocat⁹ uideatur, ut qui & ipse ægroto, dum in statu est  
morbus, nullo neq; præsidio neq; usui esse potest, aditans Spectator potius & cō



miserator, quàm subleuator. Vbi igitur uiderint ægroti amici medicum ad confilij inopiam redactum, industriamq; ei omnem ac facultatem congeliaſſe, in quo uno artem ſpei collocauerant, quemq; miraculum aliquod ſubito æditurum eſſe exiſtimauerant, de uniuerſa arte malè ſentire, ac medicum ipſum contemnere, et contumelijs lacerare incipiunt. Qui ſuam ipſorū iuſtius damnarent ſocordiam, accerſentes medicum, ubi iam extrema intentatur peſtis, atq; adeò tum, quū moriendi, non medicandi tempus inſtat. Non enim intelligunt quanti referat, priuicipijs obſtiſſe, ac uenienti occuſiſſe morbo.

Sextus error & abusus. Quin etiam omnia rectè ac ordine agenti Medico ægroti quidam minimè parent, propriaq; conſilia ſequuntur, quòd pernicioſiſſimū eſſe Hippocrates primo ſanè aphoriſmo libri primi teſtificatur, inquiring: Nec ſolū ſeipſum præſtare oportet opportuna facientē, ſed & ægrū, & adſidentes, et exteriora. Quum enim in tribus tota ars conſiſtat, ut & Hippocrates libro primo epidimiorum docet, in morbo, ægrotō, & medico, aduerſari morbo ægrotum unà cum medico oportet. Si enim æger à morbo ſtans, medico aduerſetur, actum eſt, uincitur medicus duorum impetu hoſtium oppreſſus. At ſi morbo relicto ægrotus medico *συμμαχῶν* ſe coniunxerit, uictoria, triumphus, ac ſalus expectantur. Verūm ut ab ægrotorum delictis ad aſtantium *φιλοπραγμοσῶν* ueniamus, tantum abeſt ut ægrotorum quorundam amici, cognati, cognatæue, medici conſilijs ſtare ſoleant, ut ijs etiam omnino poſthabitis reiectisq; ſuas certatim nugas, ſuaq; tantūm experimenta ægrotō obtrudant, medicorum non ſolūm ineptæ ſimiliæ, ſed etiam eius, quæ ex recuperata ſalute accedit, gloriæ æmuli, quam & plerumq; in ſe tranſmouent atq; præripiunt. Si enim æger reualuerit, medici operam uerbis extenuantes, aut callidè diſſimulantes, ſuæ indiſtriæ, ſuisq; remedijs id adſcribunt. Sin autem mortem ille cum uita commutauerit, id medico acceptum referunt. Ita fit, ut neq; autoritatem ſibi, neq; fidem, neq; rem, neq; gloriā medici facere poſſint. Quæ etiam cauſa eſt, cur apud cuiusmodi homines doctorum ac peritorum medicorum, aut nulli proſus, aut pauciſſimi, reperiantur.

Septimus error, & abusus. Cæterūm quid de promittendi leuitate dicam? quæ ad extremam impietatem quàm proxime accedit. Promitti enim quidam ægroti ſibi ſalutem uolunt, ac certum contrā precium paciſcuntur. Quibus non deſunt, qui de ſanitate prolixè promittere audeant, modò pacta pecunia numeretur. Neutri iſtorum naturam ueram eſſe morborum medicatricem, de qua in tertio abuſuum ordine diximus, intelligunt. Naturam autem? Imò ne Deum quidem Opt. Max. principem medicum eſſe credunt, qui ab homuncione miſero certam ſalutem certa pacta mercede redimunt, non impij modò, ſed etiam planè cæci brutiq; homines, qui neq; humanæ naturæ imbecillitatem uident, neq; maiorem, quàm equus & mulus cognitionem Dei habent. Cuius cū in rebus cunctis omnipotentia ac miſericordia longè maior eſt, quàm ut humanæ mentis captu cōprehendi, humanæq; uocis præconio ebuccinari poſſit, tum uerò in ægrotū angoribus, & morbis depellendis, ita illuſtris, itaq; manifeſta eſt, ut modò non oculis ac manib; teneri poſſe uideatur. Et tamen nō cōtenti ſunt quidam, ſi prudens medicus operam ac fidem ſuam pollicitus ſit, aut auxilio Dei ſe curaturum promiſerit, exigunt certam ſalutis promiſſionem, Dei mentione ſuppreſſa. Quòd ſi ſupremum, qui in cœlis eſt, medicum reueritus, ſub hac conditione promittas, *εἰ ἀπὸ θεοῦ εἰ δὲ λη*, obſcurum tibi uultum oſtendit æger, eaq; uoce abſterritus aliū quærit medicum. Neq; tum illic non a deſt promiſſor ille, ac depeculator gloriæ Dei, qui recipiat ſeſe omnes ſine exceptione morbos percuraturū, atq; adeò etiā incurabiles, quos in Euangelicis libris ab uno Chriſto ſeruatore noſtro diuina uirtute curatos fuiſſe legimus. Quare Chriſtianorū quidam cum gentibus conferri nō merētur, quibus, ut Plato in Alcibiade præcipit, diſciplinæ erat, omnib; rebus agentis, *τὸ εἶναι θεοῦ εἰδένου*, præfari. Octauus error, & abusus. Accedit eò dē impietatis, incantamentorū perſuaſio. Quoties ſiquidem difficilior cognitu, & curaturatione morbus inciderit, cōfeſtim clamitant ſe non morbo, ſed incantamentis uexari, idcircoq; libenter incantatorem aliquem accerſunt, qui tanquam clauo clauum trudens, arrem repellat arte. Hoc impio errore nullus eſt alius uſuratio, magiſue quotidianus.



Nonus error & abusus. Superest ἀφροσύνη, peculiare nonnullis hominib' uitiū, apud quos cum primū nouitatis gratiā exueris, nulla eruditione, nulla fide, nullaq; artis peritia te ita commendabilem reddes, quin novos identidem medicos, quamuis rudes, & indoctos quærant, eosque præcipuè admirentur, qui quàm maximè ignoti sint ac peregrini, quiq; ob aliqua flagitia capitalia profugerint, aut æris alieni causa solum uerterint, nihil artis habentes, præter pauca experimenta, quibus dum penitus confidunt, multas sæpè fortes animas orco demittunt. Experimentum enim & periculosum & fallax est, ut Hippocrates primo Aphorismo libri primi præmonuit. Periculosum quidem propter materiæ præstantiam. Neq; enim sicut artium mæchanicarum, ita & medicinæ materia sunt, lateres, lutum, rudera, ligna, lapides, tegulæ & coria, quæ si experiundo etiā planè cōfregieris, ad nihilumq; redegeris, error minimè grauis censetur, cum in corpore humano periculum non fiat sine periculo malaq; experientia totius animæ interitu luenda sit. Fallax uerò est, cum propter alia, tum maximè propter ἰδιόσυγκρίαν Hippocrati & Galeno, proprietatem indiuidualem recentioribus medicis appellatam. Cum enim duo homines non reperiuntur, qui eiusdē per omnia sint temperamenti, qui fieri potest, ut eadem omnibus uictus ratio conueniat: idemq; experimentum omnes iuuet: Hinc profectò & tritum illud imperitorum lemma, quàm stultum & fallum sit, qui dictitant profuisse experimentum Petro, profuturum igitur esse & Paulo, non intelligentes uariari remedia oportere, nō solum pro nouè temperamentorū diuersitate, proq; ætatis, sexus, regionis, consuetudinis, temporis, & æris ratione, sed etiam pro eo, quod cuiq; mortalium proprium inest, temperamento, quod ἰδιόσυγκρίαν appellari Græcis diximus.

Decimus error & abusus. Ad extremum, nec canonica medicandi ratio obseruari potest apud nonnullos, qui cum purgari postulant, siruporum, ut uocamus, aut aliorum eiusmodi pharmacorum, quæ humores extenuant & incidunt, atq; ad expulsionem præparant, uiasq; aperiunt, usum planè abhorrent, unicoq; haustu defungi uolūt, quasi uerò uniuersa morbi materia, quæ interdū & multa est, & longo tēpore contracta, unica portione subito ac uiolenter expelli debeat. Ita fit ut plerunq; materias crudas expurgare cogamur, eaq; non raro incommoda sequantur, quæ crudorum humorum cōmotionem comitari solent, præceptaq; Hippocratis negligantur, qui in 22. Aphorismo libri primi, concocta tantum purganda, cruda uerò minimè esse mouenda. Et Aphorismo 9. libri 2. Corpora cum quispiam purgare uoluerit, fluida prius esse facienda, sapienter docuit. Horum præceptorum cum nulla ratio habeatur, eò res redijt, ut sirapi uel pauci parentur, uel parati in Pharmacopolijs corrūpantur, in quib' et ipsi ἀτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα ἀπαντα. Quā rem cum mecū in animo cogito, ne queo satis demirari tā miserabilē humani iudicij cæcitatē, adeoq; crassa obductas caligine hominū mentes esse posse, ut cum fortunæ bona, diuitias, & facultates summa ope & studio quærare & conseruare uigilent, penèq; finem bonorum statuunt, de corporis bonis adeò nihil laborent, nihilq; sollicitudinis habeant, ut in pharmacopolijs instruendis, ubi iam nō aguntur pecuniæ, aut fortunæ, sed ubi corporis salus, uitaq; ipsa agitur, planè dormire, nullamq; seriam uideantur operam collocare. Quasi morte obita opes secum in Charontis cymbā deportaturi, eisq; Cerberum sint placaturi. Sed hic est satius receptui canere, quàm huic ulceri unguem admouere. Iustus enim dolor fortasse me transuersum raperet, neque diutius pateretur intra modestiæ limites teneri orationem. τέλος.

LAVRENTIUS MOLLERVS CAN-  
dido lectori.

Qui cupis ingenuè uarias cognoscere causas,

Cur medica ars passim turpè relicta iacet:

Et quibus eueniat causis, releuetur ut æger,

Hæc lege iudicio, dogmata culta, pio,

Quod referunt etenim spaciōsa uolumina multis,

Hoc breuiter mira dexteritate monent.

In Cap. 34. pol. Imp. Annot. D. Iustini Gobleri.





IMPERATOR hoc capite, quemadmodum alibi contra iniurias, & famosos libellos agit ac prohibet: nec tolerat, famosas picturas & facturas, quin eas reprehendit & abrogat, ceu iam pridē in fitorum legibus & Codicis constitutionibus factitatum est. Quæ enim ad non delinquentis uel promerentis infamiam tendunt, nec per calumniam patrantur aduersus infontem, ignominiosa haud fore existimantur. Eum uerò, qui nocentem infamauit, ut Iulius Paulus inquit, nō esse bonum & æquum, ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire. Tum & qui prouocat uerbo uel scripto, occasionem defendendi offerre uidetur. Est enim suus cuiq; honos & fama contra iniquos calumniatores tuenda. Nec est iniusta nominis defensio, si iure ac ordine fiat contra criminofum. Expedit enim ac interest Reipublicæ, ne crimina cuiuslibet generis maneāt prorsus impunita. I. si longius §. i. ff. ubi quis agere uel conueniri debeat. l. si ita uulneratus. in fin. ff. ad Leg. Aquil. l. in delictis §. cum dominus. ff. de noxalib. actionib. l. Stichum aut Pamphilum, in princ. ff. de solutionib. Et iste est effectus pœnæ, scilicet, ut coërceat delinquendi audaciam, ne Respublica paulatim corrumpatur malis hominibus. Ideoq; Caius in l. si à reo §. fin. ff. de fideiussor. & mandato. Pœnas (inquit) ob maleficia solui magna ratio suadet. Et Triphonius in l. bona fides, in princ. ff. de pos. nam malè meritis publicè (ait) ut alijs exemplo ad deterrenda maleficia sit, etiam ægestate laborare debet. Adde l. i. §. hæc autē separatio. ff. eod. tit. l. capitaliū §. famosos. l. per omnes. ff. de defensorib. ciuitatū. l. si quis seruo. in fin. C. de furt. l. diuus Hadrianus. ff. de custod. & exhibit. reor. Sunt autem pleriq; homines, quos nec pietas nec amor Dei à fraude proximi reuocat, dicunt enim in corde suo semper impio & incredulo: Non est Deus, quibus utique obijcienda est puniendi seueritas. l. i. C. de emenda. propinquor. cap. ut clericorum, de uita & honest. cleric. cap. ut in cunctis §. clericifanè, de electio. Cùm igitur tanti intersit totius humanæ societatis, non ali per impunitatem malitiam prauorum hominum, legislatores sollicitè perpendentes, quomodo perueniri posset ad detegenda malorum crimina, ut puniantur, quosdam introduxerunt modos seu formulas, ad id pertinentes, utpote accusationem, exceptionem, nunciationem, inquisitionem, postulationem suspecti &c. de quibus omnibus pertractatur in legibus & constitutionibus, tam iure ciuili, quàm Canonico. Quum igitur tanti intersit totius humanæ societatis, non ali per impunitatem malitiam prauorum hominum, legislatores sollicitè perpendentes, quomodo perueniri posset ad detegenda malorum crimina, quæ puniantur, aliquot formulas & leges, eò pertinentes, introduxerunt. Sunt enim pleriq; imò maior hominum pars, quos nec pietas nec religio, nec amor Dei à fraude proximi & criminibus abstinendis reuocat. Dicunt enim in corde suo semper incredulo: Non est Deus. His itaq; obtrudenda est puniendi seueritas. l. i. C. de emendatione seruorum, item l. i. C. de emendatione propinquorum, capit. ut clericorum, de uita & honestate clericorum, cap. ut in cunctis §. clericifanè, de electio. Scribit enim Imper. Constantinus dicto titulo: Si uirgis aut loris dominus seruum afflixerit, aut custodia causa in uincula coniecerit: dierum distinctione siue interpretatione depulsa, nullum criminis metum seruo mortuo sustineat. Nec uerò immoderatè suo iure utatur, sed tunc reus homicidij sit, si uoluntate cum ictu fustis, aut lapidis occiderit, uel certè relo usus letale uulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, uel iussione tetra præcipitandum esse mandauerit, aut ueni uirus infuderit, uel dilaniauerit pœnis publicis corpus ferarum unguibus latera persecando, uel exurendo oblati ignibus membra, aut tabescentes artus atro sanguine permista sanie defluentes, propè in ipsis adegerit cruciatibus uitæ relinquere sæuitia immanium barbarorum. Dies, Idus Mart. Romæ Constantino Augusto, & Licinio consulibus. Porrò Imperatores Valentinianus & Valens Augusti ad Senatū scripserunt in hæc uerba: In corrigendis minoribus pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem, ut quos ad  
 uitæ



uita decora domesticae laudis exempla non prouocant, saltem correctionis medicina compellat. Neq; tamen nos in puniendis minorum uitis potestatem in imensum extendi uolumus, sed iure patrio autoritas corrigat propinqui iuuenis errarum, & priuata anima dersione compescat: quod si atrocitatis facti ius domesticae emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi iudicum notioni. Die Idibus Aprilis, Valentiniano & Valente Augustis consulibus. Neq; enim, ut inquit Iulianus l. C. impunita maleficia esse oportet. Et dicit Papinianus, admissa non debere esse impunita: quae gnomae sunt eiusdem significationis, & uirrutis. Pœnas enim ob maleficia solui, magna ratio suadet, ut Caius ait in l. si à reo. Parag. fin. ff. de fideiuss. & mandat. Sunt autem omnes ferè omnium criminum accusationes sic unius propemodum generis, ut ex qualitate rerum & personarum dependeant, in quibus multum præstat Martiani lex à Iudice bene perpensa & intellecta, quae refertur undecima in Pandectis de pœnis, in hunc modum: Respicendum est, inquit Martianus, ne quid durius aut remissius constituatur, quam causa deposcit: nec enim aut seueritatis aut dementiae gratia affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quaeq; res postulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Furta domestica si leuiora, publicè uindicanda non sunt, nec admittenda est huiusmodi accusatio, cum seruus à domino, uel libertus à patrono, in cuius domo moratur: uel mercenarius ab eo, cui operas suas locauerit, offeratur quaestioni. Nam domestica furta uocantur, quae serui dominis, uel liberti patronis, uel mercenarij, apud quos degunt, surripiunt Delinquent autem aut proposito, aut impetu, aut casu. Proposito delinquent latrones, qui factionem habent: impetu autem, cum per ebrietatem ad manus uel ad ferrum uenitur: casu uerò, cum in uenando telum in feram missum, hominem interficit. Capitis pœna est, bestijs obijci, uel alias similes pœnas pati. Hanc pulchram legem pro nostro modulo succinctè quondam ad inclytum ac serenissimum Casarem Ferdinandum, Germaniae ac Bohemiae regem & Imperatorem Augustum, explanauimus, ab hinc annis plus minus uiginti. Sequitur l. 12. Marco dicente, Quod ad statum (inquit) damnatorum pertinet, nihil interest, iudicium publicum fuerit, nec ne, nam sola sententia, nõ genus criminis spectatur. Itaq; hi, in quos animaduerti iubetur, quiue ad bestias dantur, confestim serui pœnae fiunt. Ulpianus l. 13. Hodie, inquit, licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam uult sententiam ferre, uel grauiorem, uel leuiorem, ita tamen, ut in utroq; modo rationem non excedat. Quaedam autem delicta pagano aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant, militi uerò grauiorem, ita tamen, ut si miles artem ludicram fecerit, uel in seruitutem se uenire passus sit, capite puniendum Menander scribat. Diuus Hadrianus uerò eos, qui in numero decurionum essent, capite puniri prohibuit, nisi si quis parentem occidisset. Verum pœnae legis Corneliae puniendos, mandatis plenissimè cautum est. Claudius Saturninus l. 16. disertè ait, Aut facta puniuntur, ut furta caedesq;: aut dicta, ut conuicia, & infidæ aduocationes: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut consilia, ut coniurationes, & latronum conscientia, quosq; alios suadendo iuuisse, sceleris est instar. Sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu. Causa, ut in uerbis, quae impunita sunt à magistro allata uel parente: quoniam emendationes non iniuria gratia uidentur adhiberi, puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulsatus est. Persona dupliciter spectatur: eius qui fecit, & eius qui passus est: aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus serui quam liberi: & aliter, qui quidquam in dominum parenteue ausus est, quam qui in extraneum, in magistratum, uel in priuatum: in huius rei consideratione, etatis quoq; ratio habeatur. Locus facit, ut idem uel furtum, uel sacrilegium sit, & capite luendum, uel minore supplicio. Tempus discernit emansorem à fugitiuo, et effractorem uel furem diurnum à nocturno. Qualitate, cum factum uel atrocius uel leuius est, ut furta manifesta à nec manifestis discerni solent: rixæ



POLITIAE IMPERIALIS CONSTITVTIO,

à grassaturis, expilationes à furtis, à uolentia petulantia: qua de re maximus apud Græcos Orator Demosthenes sic ait: Οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέσκευε τὴν ὀργὴν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία, οὐδέ τὸ τυπῆσαι τοῖς ἐλευθέροις ἐσι δ' εὐνοῖα (καίπερ οὐ δ' εὐνοῖα) ἀλλὰ τὸ ἔφο ὕβρις. Πολλὰ γὰρ αὐτοῖς οἰκισαίμεν ὀτυπῆσιν, τῶ ἀνδρῶν ἀθηναῖοι, ὡς ἐν τῷ ὀπαθῶν οὐδ' αὐτὰρα χεῖλαι δ' ὕναδ' ἔτερον, τῶ σχήματι, τῶ βλέμματι, τῆ φωνῇ, ὅταν ὡς ὕβριζω, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ἐπαρχῶν, ὅταν κονδύλοισι, ὅταν ἐπὶ κόρρησι, ταῦτα κινῆ, ταῦτα ἐξίστησι ἀνθρώπους ἀνδ' εἰς ὄντας τοῦ πρᾶπληκίξεντα. Hoc est, non enim plaga iram concitauit, sed ipsa facti malignitas: neq; tam ingenuis graue est cædi (quanquam graue sit) quam per contumeliam cædi. Si quidem multa is, qui alium cædit, admittere potest, quorum magnam partem is, qui uerbis affectus est, habitu corporis, uultu, uociferatione, nunc ut contumeliam inferens, nunc ut inimicum se gerens, nunc pugnum duccens, nunc in malam cædens, alteri renunciare ac representare nequit: hæc ipsa mouent, hæc de statu mentis deturbant homines propudij ac fugillationis non affuetos. Quantitas discernit furem ab abigeo: nam qui unum suum furripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus. Euentus spectetur, ut à clementissimo quoque facta: quàm non minus lex eum qui occidendi hominis causa cum telo ferit, (aliàs fuerit) quàm eum qui occidit, puniat, & ideo apud Græcos exilio uoluntario fortuiti casus luebantur, ut apud præcipuum poetarum scriptum est.

Ἐντ' ἐμὲ τυτθὸν ἔοντα μὲν ὄντι, ἔξ ὀπὸρτος  
 ἡγάμεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ἑσὸ λυγρῆς,  
 ἡματι τῶ, ὅτε πᾶσα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος  
 νήπιος οὐκ ἐδίλων, ἀμφ' ἀσφαγᾶλοισι χολοιδέσι.

Hoc est:

Quo puerum me tempore uestras duxit ad ædes  
 Ex Opoente pater, dira pro cæde patrata,  
 Ob talos nempe ira percitus Amphidamantis,  
 Cùm gnatum imprudens simul intuitusq; peremi.

Euenit, ut eadē scelera in quibusdā prouincijs grauius plectantur, ut in Africa mesuū incisores, in Misia uitium, ubi metalla sunt, adulteratores monetæ. Nō nunquā euenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus, exemplo opus sit. Quidam sunt, ut Martianus lib. 17. inquit, serui pœnæ, ut sunt in metallum dati, & in opus metalli: & si quid eis testamento datum fuerit, pro non scripto est, quasi non Cæsaris seruo datum, sed pœnæ. Item quidam ἀπόλιδες, id est, extorres ciuitate, sunt: ut sunt in opus publicum perpetuò dati, & in insulam deportati, ut ea quidem quæ iuris ciuilibus sunt, nō habeant: quæ uerò sunt iuris gentium, habeant. Capitalium pœnarum, ut scribit Callistratus li. 28. ferè isti gradus sunt. Summum supplicium esse uidetur ad furcā damnatio, item uiui crematio: quod quanquam summi supplicij appellatiōe merito continetur, tamen eo quòd postea id genus pœnæ adinuentū est, posterius primo uisum est. Item capitis amputatio. Deinde proxima morti pœna, metalli cohercitiō, deinde in insulā deportatio: cæteræ pœnæ ad existimationem, nō ad capitis periculum pertinent, ueluti relegatio ad tempus, uel in perpetuum, uel in insulam, uel cùm in opus quis publicum datur ad tempus, uel cùm fustium ictui subijcitur. Non omnes fustibus cædi solent, sed hi duntaxat, qui liberi sunt, & quidem tenuiores homines, honestiores uerò fustibus non subijciuntur, idq; principalibus rescriptis specialiter exprimitur.

Solent quidam, qui uulgò se iuuenes appellant, in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare, qui si amplius nihil admiserint, nec antè sunt à præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiā spectaculis eis interdicitur: quòd si ita correcti, in eisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt: nonnunquam capite plectendi, scilicet cùm sæpius seditiosè & turbulenter se gesserint, & aliquoties adprehensi tractati clementius in eadem temeritate propòsi perseuerauerint. Serui cæsi solent dominis reddi, & ut generaliter dixerim, omnes qui fustibus cædi prohibentur, eandem habere honoris reuerentiā debent, quam decuriones habent. Est enim inconstans dicere, eū quem principales constitutiones fustibus subijci prohibuerunt, in metallum dari posse. Diuus Hadrianus in hæc uerba rescripsit: In opus metalli ad tempus nemo damnari debet.



bet, sed quid ad tempus damnatus est, etiam si faciat metallicum opus, non in metallum damnatus esse intelligi debet. Huius enim libertas manet, quemadmodum etiam his, qui non in perpetuum opus damnantur. Proinde & mulieres hoc modo damnatae liberos pariunt. Ad statuas confugere, uel imagines Principum in iniuriam alterius, prohibitum est. Cum enim leges omnibus hominibus aequaliter securitatem tribuant, merito uisum est in iniuriam potius alterius, quam sui defensionis gratia ad statuas uel imagines Principum confugere, nisi si quis ex uinculis uel custodia detentus a potentioribus ad huiusmodi praesidium confugerit: his enim uenia tribuenda est. Ne autem ad statuas uel imagines quis confugiat, senatus censuit: eumque qui imaginem Caesaris in inuidiam alterius praetulisset, in uincula publica coerceri, diuus Pius rescripsit. Omnia admissa in patronum, patroniue filium, patrem, propinquum, maritum, uxorem, ceterasque necessitudines, grauius uindictanda sunt, quam in extraneos. Venenarij capite puniendi sunt, aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Grassatores qui praedae causa id faciunt, proximi latronibus habentur: & si cum ferro aggredi & spoliare instituerunt, capite puniuntur: utique si saepius, atque in itineribus hoc admiserunt, ceteri in metallum dantur, uel in insulas relegantur. Igni cremantur plerumque serui, qui saluti dominorum suorum insidiati erunt: nonnunquam etiam liberi plebei & humiles personae. Incendiarij capite puniuntur, qui ob inimicitias, uel praedae causa incenderint intra oppidum, plerumque & uiui exuruntur: qui uero casam aut uillam, aliquo leuius. Nam fortuita incendia, si cum euitari possent, per negligentiam eorum, apud quos orta sunt, damno uicinis fuerunt, ciuilibus exercetur, ut qui iactura affectus est, damnum disceptet, uel modice uindictetur. In exilibus gradus poenarum constituit edictum diui Traiani, ut qui ad tempus relegatus sit, si redeat, in insulam relegetur, &c. Sequitur *περι χρυσουργίας*, de aurificibus seu fabris aurarijs, quorum in eodem officio dolos malos & technas hic taxat Caesar, capiteque, cuius rei inspectionem argentarijs & Magistratui committit.

*Im Cap. 36. pol. Imp. Annot. D. Iustini Gobleri.*



Prohibet Imp. Carolus hoc capite collusionem *της συναγορης*, seu artificum seu opificum, qui inter se de operarum mercede & precio pacta ineunt, & salaria constituunt, quo carius illa ceu per monopolia uendant: quod cum plerumque per dolum malum fraudemque contra emptores seu mercatores fieri soleat, praecipitur Magistratui, ne in ciuitatibus & oppidis talis collusio patiat, sed omnino prohibeatur & puniatur, praesertim cum tendat in publicum detrimentum. Est autem eiusmodi collusio inter artifices & opifices latens quaedam & fraudulenta conuentio & ceu pactio, ne quis eorum artificum seu opificum minore precio res aut operas suas quam alter uendat, uel elocet, constituta inter se certa mercede ac precio. Quod quid aliud est, quam quoddam quasi monopolium contra Reipublicae utilitatem constituere: Hanc iniquitatem & fraudulentam machinationem prudenter ac necessarium uetat Imperator noster, ut si comperiat tale per collusionem opificum uel artificum quicquam factum, Magistratus cuiusque loci corrigat, & in delinquentes grauius iuxta rerum & personarum conditionem & qualitatem animaduertat, quando quidem interest Reipublicae eiusmodi opificum & artificum collusiones, dolos & fraudes detegere, reuelare, & abolere. Plura dicunt leges & constitutiones Iureconsultorum & Pontificum, de collusionibus detegendis, quae per ocium lector uideri poteris: me iam breuitati studere cogit necessitas.

*In Cap. 37. pol. Imp. Annot. D. Iust. Gobleri Goa.*



Prohibet Imp. Carolus hoc capite collusionem *της συναγορης*, seu artificum seu opificum, qui inter se de operarum mercede & precio pacta ineunt, & salaria constituunt, quo carius illa ceu per monopolia uendant: quod cum plerumque per dolum malum fraudemque contra emptores seu mercatores fieri soleat, praecipitur Magistratui, ne in ciuitatibus & oppidis talis collusio patiat, sed omnino prohibeatur & puniatur, praesertim cum tendat in publicum detrimentum. Est autem eiusmodi collusio inter artifices & opifices latens quaedam & fraudulenta conuentio & ceu pactio, ne quis eorum artificum seu opificum minore precio res aut operas suas quam alter uendat, uel elocet, constituta inter se certa mercede ac precio. Quod quid aliud est, quam quoddam quasi monopolium contra Reipublicae utilitatem constituere: Hanc iniquitatem & fraudulentam machinationem prudenter ac necessarium uetat Imperator noster, ut si comperiat tale per collusionem opificum uel artificum quicquam factum, Magistratus cuiusque loci corrigat, & in delinquentes grauius iuxta rerum & personarum conditionem & qualitatem animaduertat, quando quidem interest Reipublicae eiusmodi opificum & artificum collusiones, dolos & fraudes detegere, reuelare, & abolere. Plura dicunt leges & constitutiones Iureconsultorum & Pontificum, de collusionibus detegendis, quae per ocium lector uideri poteris: me iam breuitati studere cogit necessitas.

Tsi apud Ciceronem artifices, tabernarij, coqui, opificesque omnes, & operarij in sordida arte uersari dicuntur, quale hoc capite Caesar commemorat, alibi etiam Cicero faciem ciuitatum appellat in oratione pro Flacco: tamen apud Plurarchum ex sententia Heracliti, *ηδος αυθροως δαμων*, dicitur fortuna fingi cuique suis moribus: illamque esse *βουλησιας, ωαδης, ηγη προμυθειας*, uidelicet, rectae institutionis, persuasionis, & prouidentiae, ut Aleman dixit sororem. Ideo imperator noster ab honestis ordinibus, gradibus, officijs, ac ministerijs illorum liberos nequaquam uult repellere aut excludi, & maximè quidem tyrones admitti ac recipi. Relinquens tamen singulis ciuitatibus & Magistratibus sua Regalia & Priuilegia.



7A

1810.244

NO

INTEREST D LYING ON DOA

The following is a list of the names of the persons who have been  
 named in the above account, and the amount of the interest due  
 to each of them, as of the date of the account, and the date  
 when the same was due. The names are given in the order in  
 which they were named in the account, and the amounts are given  
 in the same order. The dates are given in the same order.  
 The names are given in the order in which they were named in  
 the account, and the amounts are given in the same order. The  
 dates are given in the same order.

The following is a list of the names of the persons who have been  
 named in the above account, and the amount of the interest due  
 to each of them, as of the date of the account, and the date  
 when the same was due. The names are given in the order in  
 which they were named in the account, and the amounts are given  
 in the same order. The dates are given in the same order.  
 The names are given in the order in which they were named in  
 the account, and the amounts are given in the same order. The  
 dates are given in the same order.